



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,  
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,  
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,  
ex Eusebio Cæsariensi ...**

**Eusebius <Caesariensis>**

**Haer. Chr. Egen., 1571**

**VD16 E 4284**

Historiae Ecclesiasticae, Et Dicta, In Primis Memorabilia, Ex Eusebio  
Cæsariensi selecta, & carmine Elegiaco redditia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

HISTORIAE ECCLE-  
SIASTICAE, ET DICTA, IN  
PRIMIS MEMORABILIA, EX  
Eusebio Cæsariensi selecta, & car-  
mine Elegiaco redditæ.

I. DE HORRENDA POENA  
& interitu Herodis Ascolonitæ Idu-  
mæi infanticidæ. Euseb. lib. I.  
Ecclesiast. hist. cap. 8.

**H**erodes hostis Christi sanguis Tyrannus,  
Impius has pœnas interitumq; tulit. Anno  
Quod Sathanæ instinctu pueroru; sanguine sanguis, Christi 7.  
Bethlemica crudas polluit vrbe manus. regno He  
Huius ut inuasit corpus, mox saeuior vrget rodis 37.  
Morbus, quæ scelerum pœna luenda fuit.  
Externos etenim sauit ferus ignis in artus,  
Cæca sub interno viscere flamma furit.  
Quin & dira fames & non satiat a libido,  
Semper erat potus ingluuesq; gulæ.  
Intus & ulceribus putrefactis viscera squallent,  
Est quoq; coli ingens, est laterumq; dolor.  
Atq; pedes circum profluxit fœtidus humor,  
Pube tenus tendens inguina tetra viro.  
Ipsa verenda etiam corrupta putredine fœda,  
Rodenti multo lurida verme scatent.

Spiritus & totum distendit corpus & inflat.  
Conuellunt flatus excruciantq; feri.  
Redditur & putri dirus de corpore fætor,  
Fætor, quo potuit tetrius esse nihil.  
Naturalis erat non hic in corpore morbus,  
Desuper hæc scelerum reddit a poena fuit.  
Tantus erat toto cruciatus, corpore tantus  
Fætor, ut hæc fessus non tolerare queat.  
Consulit impatiens medicos, medicamina multa  
Admouet: ast medici non iuuat vlla manus.  
Abluit in thermis se crebrò & Iordanis vnda.  
Corporis immergit putrida membra sui.  
Atq; oleo corpus, vita & spe ductus inani,  
Lauit, perfundens vnguine s̄ape suum.  
Difflit hic tandem totus turpisq; fatiscit,  
Atq; loco (horrendum) lumina mota fluunt.  
Post ubi iam mortem desperans sentit adesse.  
Edit crudelis signa nefanda necis.  
Hiericho à famulis æger delatus in urbem.  
Iudææ primos conuocat inde viros.  
Innocuos cæco concludit carcere, & omnes  
Occidi sœus, post sua fata iubet.  
Namq; animam effundens crudeli morte, sorori  
Illiis atq; viro talia iussa dedit:  
Certo, ait, ex cruda Iudæos gaudia morte,  
Capturos nostra, lætitiamq; scio.  
Hos igitur claro Iudæos stemmate natos,  
Obtruncate statim, post mea fata, viros.

Nostra

Nostra vel inuiti doleant sic funera mœsti,  
 Sic sua cum nostris funera quisq; fleat.  
 Vos parete mihi: miles qui iussa capessat  
 Nostra, per insidias sponte paratus erit.  
 Hæc fatus rigido cruciatus corporis astu,  
 Intulit ab expes vimq; necemq; sibi.  
 Nam cultrum, veluti consueuerat antè, petebat,  
 Pomum ceu comedens excoriare velit.  
 Impulit in pectus ferrum: sic vita sub umbra  
 Indignata fugit, perpetuòq; gemit.  
 Hostis sic perijt, saeuia qui cæde puellos  
 Sustulit, vt natum tollat & ipse Dei.  
 Sic pereant hostes Christi: non iustior est lex,  
 Quam necis artifices arte perire sua.

2. DE MINISTERIO ET OFFI-  
 cio Ioannis Baptistæ , ex Eusebio  
 lib. i. Ecclesia. hist. cap. 13.

**I**oannes Baptista sedulò docuisse fertur, Anno  
 ut virtuti operam demus, & iustitiam in- Christi  
 ter nos custodiamus, & in Deum serue- 30.  
 mus pietatem, per Baptismum acceptabilem Matth. 3.  
 Deo, si non solum ad abluenda peccata su- Mar. 1.  
 matur, verum etiam ad castimoniam corpo- Luc. 3.  
 ris, atq; ad animæ iustitiam , vel ut signacu- Iohan. 1.  
 lum, & custodia quædam fidelis habeatur.

Dogmata quæ sanctus Christi præcursor Iesu,  
 Tradidit, hanc summam, sub breuitate, tenent.

*Impia damnavit totius criminis mundi,  
 Et mores iussit deposuisse malos.  
 Perculsa mentes venturi iudicis ira,  
 Ad vitæ erexit gaudia lata nouæ.  
 Et dígito coram populo monstrauit adesse  
 Agnum, qui mundi criminis cuncta luat.  
 Instituit sacrum primum Baptismatis vndam,  
 Gratia cui summi plena fauoris adest.  
 Abluit hæc sordes mentis, non corporis, vndam,  
 Atq; monet carnem mortificare pios.  
 Hæc igitur praesta sacrato flumine tinctus,  
 Flaminis auxilio conueniente Deo.  
 Pectore firmato cœlestia verba sequaris,  
 In Gnatum credens corde fideq; Dei.  
 Institue & vitam diuino pneumatice motus,  
 Quæ placeat Domino, per pia facta, Deo.  
 Sit castum corpus, sit mens pia, sancta q; vita,  
 Virtuti studeas iustitiaq; nouæ.  
 Et sis pacis amans sanctæ: sic certa salutis  
 Spes erit æternæ non dubitanda tibi.*

3. EPISTOLA ABGARI AD  
Christum. Euse. lib. I. cap. 15.

**A B G A R V S V C'H A N I A E**  
 filius Toparcha, Iesu saluatori  
 bono, qui apparuit in locis  
 Hierosolymorum, S.

Audi-

**A**uditum est mihi de te, & de sanitatis, quas facis, quod sine medicamentis aut herbis fiant ista per te, & quod verbo tantum cæcos facis videre, & claudos ambulare, & leprosos mundas, & immundos spiritus ac Dæmones ejcīs, & eos, qui longis ægritudinibus afflictantur, curas & sanas, mortuos quoq; suscitas. Quibus omnibus auditis de te, statui in animo meo, unum esse è duobus, aut quia tu sis Deus, & descenderis de cœlo, ut hæc facias, aut quod filius Dei sis, qui hæc facis: Propterea hæc scribens, roguerim te, ut digneris usq; ad me fatigari, & ægritudinem meam, qua iam diu laboro, currare. Nam & illud comperi, quod Iudæi murmurant aduersum te, & volunt tibi infidiari. Est autem ciuitas mihi, parua quidem, sed honesta, quæ vtrisq; sufficiat.

*In Syria quondam celebri regnabat Edessa,  
Abgarus populo carus in vrbe suo.  
Iudaicus Christus quo tempore claruit oris,  
Miraclis implens climata cuncta nouis.  
Abgarus morbo Rex decumbebat acerbo,  
Quem potuit medici tollere nulla manus.  
Facta ubi Rex audit Christi miranda potentis,  
A Domino scriptis talibus orat opem:  
Ad Syria latos, Iesu clarissime, fines  
Venit de gestis inclyta fama tuis.*

Cœlestis mundo tradis quòd dogmata vita,  
 Morborum verbo tollis & omne genus.  
 Claudis quòd gressus, cæcis quòd lumina reddis,  
 Immundos lepra quòd scabieq; leuas.  
 Dæmones expellis, vexantes corpora tetros,  
 Eloquium mutis restituisq; citò.  
 Defunctis reddis vita quòd munus & usum,  
 Omnia qua verbo facta stupenda facis.  
 His ego diuinis gestis adducor, ut altis  
 Te missum è cælis augurer esse Deum.  
 Siue Dei genitum cœlesti semine gnatum,  
 Qui specie humana talia tectus agas.  
 Est q; tua, ut referunt, bonitati iuncta potestas,  
 Qua cunctos summo sape labore iuuas.  
 Ergo etiam accedas, rogo, me, clarissime Iesu,  
 Eg; meo morbum corpore tolle grauem.  
 Quo miser hac longo conflictor tempore terra,  
 Ars mihi quem medici tollere nulla potest.  
 Et fama est istis dirum quòd vulgus in oris,  
 Te velit eximium fraude necare virum.  
 Vrbs licet angustis mihi sit circundata muris,  
 Hæc tamen hospitium dulce duobus erit.  
 Hac poteris mecum tutus requiescere in yrbe,  
 Exigui regni portio clara mei.  
 Hæc Syria Abgarus Christo Rex scripsit Edeffa,  
 Talia cui Christus verba benigna refert.

#### 4. RESPONSIO CHRISTI ad Abgarum, ibidem.

Beatus

**B**atus es, quia credidisti in me, cùm ipse Esai. 52.  
 non videris: Scriptum est enim de me:  
 Quia hi, qui m<sup>e</sup> vident, non credent in  
 me, & qui non vident me, ipsi credent & vi-  
 uent. De eo autem quod scripsisti mihi, vt ve-  
 niam ad te, oportet me omnia, propter quæ  
 missus sum, h̄ic explere, & posteaquam com-  
 pleuero, recipi ad eum, à quo missus sum.  
 Cùm ergo fuero assumptus, mittam tibi ali-  
 quem ex discipulis meis, vt curet ægritudi-  
 nem tuam, & vitam tibi atq; his, qui tecum  
 sunt, præstet.

*Est Syria Eois tua Rex charissime, ab oris  
 Ad nostras nuper littera missa manus.  
 O nimium felix, ô terq; quaterq; beatus,  
 Pra quām si teneas totius orbis opes.  
 In me quād credis, quem non tibi cernis adesse,  
 Et petis auxilium præsidiumq; meum.  
 Qui mihi confidit quocunq; in tempore & oris,  
 A me consequitur, qui bona cunq; petit.  
 Quād petis, vt vestras veniā, Rex inclyte, ad oras,  
 Atq; offers regni commoda cuncta tui,  
 Gratum est: sed vestras me nunc accedere terras,  
 Non sunt officiū tradita cura mei.  
 Hoc est officium summi, est hæc sancta voluntas,  
 Aetherea qui me misit ab arce patris.  
 Ut Solyma moriar, generi reparemq; salutem  
 Humano, vitam restituamq; nouam.*

B 5

*Mortuus & surgam victo rediuius & orco,  
Et repetam patris cœlica regna mei.  
Ad patris dextram sedeo cùm victor in astris,  
Et teneo pedibus cuncta subacta meis:  
Vnum ex discipulis mittam, qui numine nostro  
Aegroto sanet vulnera longa tibi.  
Offerat atq; tibi veram populo q; salutem,  
Indicet & vita non peritura bona.  
Abgaro Christus dedit hæc responsa benignus,  
Eusebij ut celebris pagina vera refert.*

5. DICTVM TATTHAE I APO-  
stoli, ad Abgarum aurum ipsi & munera  
offerentem pro doctrina & miraculis,  
qui illis recusatis respondisse  
fertur:

**S**i nostra reliquimus, quomodo accipie-  
mus aliena?  
*Iudaicus clarus doctrina Christus in oris,  
Et signis toto notus in orbe fuit.  
Abgarus famam cuius Rex audit Edessa,  
Fœcundo Syriæ quâ iacet ora solo.  
Rex igitur morbo decumbens clarus atroci,  
Hunc Dominum credens ad sua regna vocat,  
Ut sanet longum languenti corpore morbum,  
Namq; Machaoniam non tulit ullus opem.  
Denegat aduentum Dominus, quod iussa parentis  
Cœlestis Solymæ sint peragenda sibi.*

*Iussa*

Iussa fuere sui mentem monstrare parentis,  
 Atq<sup>3</sup> sua nostrum soluere morte λύτρον,  
 Discipulum, postquam deuicta morte resurgens  
 Aetherias patris scanderit ipse domos,  
 Missurum scribit, Regem qui liberet ipsum  
 A morbo, & tradat dogmata vera Dei.  
 Post quā igitur Christus clarum concedit Olym-  
 Et sedet ad dextram patris in arce sui: (pum,  
 Tatthæum misit Thomas hinc regis in aulam,  
 Spargeret ut dicto dogmata sacra loco.  
 Hic etiam Regem sanavit, & edidit ante  
 Conspectum illius plurima signa pius.  
 Plurima cūm Christi præconi munera & aurum  
 Rex daret, hunc cupiens promeruisse sibi,  
 Tatthæus sancto fertur sic ore locutus:  
 Dogmate pro Christi munera nulla peto.  
 Nomine qui Christi bona nostra reliquimus vt-  
 Sumere qui nobis nunc aliena licet? (trō,  
 Vox fuit illa Dei venerando digna ministro,  
 Quam populi pastor s<sup>æ</sup>pe reuolue Dei.  
 Ne venēris opes, Christi dum dogmata spargis,  
 Ne stygio fias præda petita lupo.  
 Nam quicunq<sup>3</sup> Dei, quarit sua commoda, verbo,  
 Cor Sathanæ, vocem consecrat ille Deo.  
 6. DICTVM TERTULLIANI  
 contra decretum Senatus Romani, ne  
 quis nisi ipso approbante & volen-  
 te, haberetur Deus. Euse. lib.

**S**i, nisi homini Deus placuerit, Deus non  
serit, homo iam Deo propitius esse debebit.

*Romani fuit hoc inter decreta Senatus,  
Esset ut is solus, quem probet ipse Deus.  
Hoc igitur Latij decretum rite Senatus  
Ludens sic doctus Tertullianus ait:  
Numina sunt inopes Di, qui sine numine vestro,  
Non poterunt ullum numen habere sui.  
Numinibus vestris numen vos maius habetis,  
Iussu sunt vestro numina nang, Dei.*

7. PHILO IVDAEVS AD SOCIOS, qui vñā cum ipso ejiebantur ē patria  
a Caio Caligula Cæfare, quòd honore  
eum diuino venerari recusarent,  
accusati ab Appione. Euse.  
lib. 2. cap. 15.

**B**ono animo nos esse oportet, quibus  
iratus est Caius. Quia necesse est adesse  
diuinum, vbi humanum cessat auxiliū.

*Leto animo simus socij latog, feramus,  
Caius hic nobis quæ mala cung, facit.  
Caius iratus patria nos exigit vrbe,  
Est patria, hæc melior, quam dabit ipse Deus.  
Non igitur tristes animum deponite vestrum,  
Nunc licet humana destituamur ope.*

*Rebus*

**E**cibus in afflictis hominum cùm deficit omne,  
Incipit auxilium præsidium q̄z Dei.

**8. DICTVM IACOBI APOSTOLI**, fratri Ioannis Euangelistæ, ad eum, qui conuersus subitò in itinere ad fidem Christianam, vnà cum ipso Apostolo ad supplicium ducebatur, qui Apostolum paulò antè ad martyrium tradiderat. Euseb.

lib. 2. cap. 9.

**N**omine pro Christi Iacobus Apostolus ense Herodis saui cùm feriendus erat, Dicitur, ad Christum subitò conuersus & ille, Sanctum qui morti tradidit antè virum. Qui veniam sceleris tanti cùm posceret, vltro Hanc fidei socio, supplicijq; dedit. Pax tibi sit, dixit, socio simul oscula figit, Sic perit aetherias latus vterq; domos.

**9. DICTVM HERODIS AGRIPPA**, Regis Iudæorum, percussi ab Angelo, cruciatu & inflammatione ventris, quod diuinum sibi honorem arrogasset, & excepisset oblatum à populo. Euseb. lib. 2. Ecclesi. hist. cap. 10. & Acto- rum 12.

En

Anno  
Christi  
47.

**E**N ille ego Deus vester, ecce propellor  
confestim, & deturbor ex vita: quoni-  
am quidem virtus diuina me per colla-  
tas in me falsas arguit voces.

*Impius Herodes Tyria cùm ueste sederet  
Indutus, radijs sole micante nouis:  
Diuinos populi sumpfit plaudentis honores,  
Interitum adsciscens exitiumqz sibi.  
Namqz, miser fœdi correptus tormine ventris,  
Extinctus subitò turpe cadauer obit.  
Hæc, vbi cum gemitu miserando dixit amicis,  
Numen erat quorum nuper in orbe sacrum,  
En Deus, en vestris modò qui sum cultus in oris,  
Extinguor miseris, numen inane, modis.  
Exerit hanc contra me vim diuina potestas,  
Ne videar posthac vester, vt antè, Deus.  
Sic fatur, gemitu misero sic vita recessit,  
,, Hostes sic Christi tristia fata manent.*

10. DICTVM TERTVLLIANI ET  
Eusebij, de Nerone Tyranno Cæsare,  
primo Christianorum persecuto-  
re & hoste. lib.2. Ecclesia.  
hist. cap. 24.

**Q**Vi Neronem scit, intelligere potest,  
non nisi grande aliquòd bonum à  
Nerone damnatum. Hunc parrici-  
dam & incestum primum ex Imperatoribus  
decuit in Deum impietatis arma conuertere.

Impius

*Impius, incestus, Nero, crudelisq; tyrannus,  
Spurcior hoc Sathanæ nulla cloaca fuit.  
Qui contra Christum diro tulit arma furore,  
Quid Nero damnaret? nil nisi grande bonum.  
Talia de sœud venerandus verba tyranno,  
Cum sancto Eusebio, Tertullianus ait.*

II. EVSEBIUS LIB. 3, EC-  
clesiaſt. hist, cap. 7.

**D**eus non est præceps ad pœnam & vi-  
tionem, sed quærerit populi pœnitenti-  
am tarditate pœnæ. Quia non vult  
Deus mortem peccatoris, sed ut conuertatur  
ac viuat, sicut per prædicationem Apostolo-  
rum, & præcipue Iacobi, anno 40. Iudaeos ad  
pœnitentiam vocauit.

- |  |            |
|--|------------|
| <i>Non Deus ad pœnam properat, non expetit, vltor,</i> | ,,         |
| <i>Interritum populi suppliciumq; sui.</i>             | ,,         |
| <i>Sed pœnas differt patiens &amp; tardus ad iram,</i> | Psal. 102, |
| <i>Vt mora peccantes ad pia facta vocet.</i>           | ,,         |
| <i>Sic Iacobe vocans Solymæ ad meliora colonos,</i>    | ,,         |
| <i>De Christo populum lustra per octo doces,</i>       | ,,         |
| <i>Impius vt pereat, Deus inquit, nolo, sed omnis</i>  | Ezech. 18, |
| <i>Vt peccans viuat, qui resipiscit homo.</i>          | & 32,      |
| <i>His qui diuini non credis vocibus oris,</i>         | ,,         |
| <i>In proprio moreris sponte perisq; malo.</i>         | ,,         |

12. Di-

12. DIVVS PETRVS AD VXOREM suā, cùm ea duceretur propter Christum ad supplicium, compellans nomine proprio, dixit: Memento Domini. Euse, lib.

3. cap. 30.

Ducitur ad tristem Petri cùm fœmina mortem,  
Dogmata quodd Christi sancta professafuit:  
Fertur eam tali solatus Apostolus ore,  
In solo maneat spes tua fixa Deo.  
Sis memor, ô coniunx, Domini, dilecta, supremi,  
Is tibi per mortem cœlica regna dabit.  
Ille aderit præsens postrema mortis in hora,  
Hoc tibi qui donat corq; fidemq; Deus.

13. BEATVS IGNATIVS DISCIPULUS Ioannis Euangelistæ, Episcopus Antiochenus, cùm captiuus duceretur Romam, abijciendus bestijs, in campo Martio, bellus ita allocutus est.

**O** Salutares bestias , quæ præparantur mihi, quandovenient? quando eis fru licebit carnibus meis, quas & ego opto aciores parari, & inuitabo ad deuorationem mei, & deprecabor, ne fortè ( vt in nonnullis fecerunt) timeant contingere corpus meum. Nunc incipio esse discipulus Christi, frumentum

tum Dei sum, bestiarum dentibus commi-  
nuar & subigar, vt panis mundus efficiar  
Christi. Euseb.lib.3.cap.36.& Irenæus lib.3.

*Quis metus est vester, Pardi sauiqz, leones?*

*Quæ mora? quis tantus vos tenet vsqz, timor?*

*Quin nostras rabido carnes inuaditis ore?*

*Et dentes vestri viscera nostra vorant?*

*Comminuar cupidus vestris hoc dentibus orbe,*

*Frumentum Domini nunc subigarqz, Dei.*

*Panis ut efficiar tibi sic mundatus & albus,*

*Conspersus roseo sanguine Christe tuo.*

*Hoc dicit sanctus diuino Ignatius ore,*

*Cum saeuis Pardis obijciendus erat.*

14. DE MARTYRIBVS. POLY-  
carpus discipulus Ioannis Euange-  
listæ. Euse.lib.3.cap.36.

**P**assionum Domini participes extite-  
runt (martyres) nec dilexerunt præsens  
seculum, sed eum solùm, qui pro ipsis  
& pro nobis mortuus est, & resurrexit.

*Dulcia præsentis spreuerunt gaudia seclii,*

*Duraqz cum Christo flagra tulere suo.*

*Hunc Dominum ardenti complexi pectore solum,*

*Pro nobis quondam qui flagra dura tulit.*

*Morte tulit nostram mortem, viuus qz, resurgens,*

*Hic Dominus nobis gaudia lata tulit.*

C

Talia de sanctis Polycarpus retrulit olim  
Mariyibus, sanctus martyr & ipse Dei.

15. PAPIAS EIVSDEM DISCI-  
pulus cap. 39. de certitudine & ve-  
ritate doctrinæ Aposto-  
licæ.

**N**ec multa dicentibus, sed vera traden-  
tibus auscultauimus, neq; his, qui ho-  
minū præcepta, sed qui Domini man-  
data memorabant, ab ipsa veritatē suscepta.

Quām sit Apostolici præstans reuerentia verbi,  
Sic Papias sancto rettulit ore pius:  
Non queis multa fuit studium, sed dicere vera,  
His habita à nobis non dubitata fides.  
Qui præcepta Dei memorarunt sancta fideles,  
Dogmata non hominum, quæ fugienda pijs.  
Dogmate Apostolico tantum est Ecclesia in orbe,  
Non hominum inuentis, constituenda Dei.

16. IDEM DE ENERGIA SEV  
efficacia viuæ vocis, seu mini-  
sterij Euangelij.

**N**on tantum mihi librorum lectiones  
prodesse credebam, quantum viuæ vo-  
cis, præsentisq; magisterium.

Hæc

Hæc retulit Papias sanctus de voce docentis,  
 Quas habet vires, quæ documenta Dei.  
 Non mihi librorum tam prodest lectio sacra,  
 Quam me vox presens viua alit atq; docet.

17. DE REPENTINO ET HOR-  
 rendo interitu Cerinthi hæretici, negan-  
 tis diuinam in Christo naturam, & per-  
 sonalem utriusq; naturæ, diuinæ & huma-  
 næ in eo, vniōnem veram & hypostasti-  
 cam, qui vixit tempore Ioannis E-  
 uangelistæ sub Cæsare Traiano,  
 Anno Christi 100. Euseb.

lib.4.cap.14.

Accidit ut calidas Ephesi loturus in vrbe  
 Sanctus Ioannes ingredetur aquas:  
 Inuenit hic vna Cerinthum fortè sedentem,  
 Iactantem in Gnatum verba nefanda Dei.  
 Nam patris æterni λόγον esse negabat Iēsum,  
 Vnitum nostra fædere carne nouo.  
 Sed specie Christum cœlo venisse columba,  
 Est ubi Iordanis tinctus Iēsus aquis.  
 Atq; grauem rursus mortem cum ferret Iēsus,  
 In cœli Christum mox rediisse domos.  
 Et Christi regnum Solymæ fore mille per annos,  
 Pluraq; blasphemо protulit ore docens.  
 Quem cum diuinus conspexit Apostolus, inquit,  
 Hinc socij, hinc celeres, tollite quisq; pedem.

C 2

Effugite hanc tetram, socij, mox linquite pestem,  
 Quæ sceleris pœnas mox peritura dabit.  
 Hæc vbi dixisset, thermas mora nulla relinquunt,  
 Moxq; habet effectum vox metuenda suum.  
 Nam cadit & rapido blasphemum contudit ictu,  
 Collapsæ subitæ factæ ruina domus.  
 Impia, sic pereant omnes, qui dogmata spargunt,  
 " Extenuant laudem quæ, pie Christe, tuam.  
 " Arius ut quondam ventris cum stercore fœdo,  
 Blasphemus fudit viscera tetra cacans.

18. EVSEBIUS LIBRO EODEM  
 capite 15. Contra Corinthum quendam,  
 qui procacia potius & temeritate, quam  
 deuotione, vt ipse aiebat, profiliisse  
 fertur ad martyrium, seq; ipse  
 iudicibus ingessisse.

**N**on temeritas, sed fides & modestia  
 coronatur.

Eusebius veterum doctus monumenta reueluens,  
 Defalsis dixit talia martyribus:  
 " Martyrio nullum decorat temeraria virtus,  
 " Sed moderata fides, verus amorq; Dei.  
 Supplicium fertur sic insiluisse Corinthus,  
 Sæuis oblatus iudicibusq; volens.  
 " Sæpe fugit Christus mortem, Paulusq; cruentam,  
 Cum ratio officij non vocat ipsa crucem.  
 Suppli-

*Supplicium ad seum multos perduxit inanis „  
Aura, & habet Satanas martyras ipse suos. „*

*Ita Cyprianus: Causa facit martyrem, non  
martyrium. Et Apollinaris: Vbi non est veritas  
Christi, ibi non est veritas martyrum.*

19. POLYCARPVVS AD HERO-  
dem proconsulem, iubentem ut Chri-  
sto conuicia faceret, eumq; ab-  
negaret, dixit:

**O**ctoginta & sex annis ei (Christo) ser-  
uio, & nihil me læsit vñquam, quomo-  
do possum maledicere & blasphemare  
eum Regem, qui salutem mihi dedit?

*Cùm iubet Herodes ut Christi dogmata vera  
Abneget, hæc sanctus vir Polycarpus ait:  
Huic ego sex annis Domino, lustris q̄, bis octo  
Seruio, non vñquam qui mihi damna dedit.  
Qui potero Regem tam blasphemare benignum, „  
Contra illum ingratus, vel maledicta loqui? „  
Nil mihi qui damni fecit, non obsuit vñquam? „  
Sed mihi Rex semper, vita salus q̄ fuit. „*

20. LVCIVS QVIDAM AD VR-  
bicum, à quo interfici iussus fue-  
rat. Ibidem.

**G**ratias ago, quod me nequissimis domini  
nis absolutum, ad bonum & optimum  
patrem, & regem omnium remittis  
Deum.

*Lucius hæc crudo referebat verba Tyranno,*  
*Tollere cum sanctum precipit ille virum:*  
*Vrbici lato dico tibi pectore grates,*  
*Tradideris rigide quod mea membra neci.*  
*Nang⁹ malis liber dominis, ego mittar ad ipsum,*  
*Qui meus est Dominus, Rex q⁹ pater q⁹ Deum.*

21. AD EVNDEM MINI-  
tantem bestias.

**C**um proconsul bestias ei minaretur, in-  
quit: Adhibeantur sanè, Nobis enim  
immobilis stat sententia, nec possum  
de bono ad malum per pœnitudinem com-  
mutari. Melius autem erat, hi si mutarentur  
ad bona, qui perseverant in malis.

*Lucius hæc sanctus referebat dicta Tyranno,*  
*Cum rabidis pardis obijciendus erat:*  
*Sæui adducantur Pardi licet atq⁹ leones,*  
*Vt mea crudeles viscera & ossa vorent:*  
*Firma tamen fidei manet hæc sententia nostra.*  
*Quam poterunt vestrae non abolere minæ.*  
*Ad mala mutari leunter non possumus unquam,*  
*Linguere & amplexi qua bona ritè sumus.*

E&amp;

*Est melius contrà, mala qui sectantur, ab illis  
Ad bona mutatos post habuisse mala.*

22. AD EVNDEM MINANTEM ignes.

**I**gnem minare hunc, qui ad momenta incenditur, & paulò post extinguitur. Quia ignoras futuri iudicij ignem æternum, qui ad perpetuas pœnas præparatus est impjjs.

*Talia vir sanctus constans pectore dixit.*

*Ignibus in seuis cum perimendus erat:*

*Impie, quid flamas ignis minitare, Tyranne?*

*Ignis hic efflagrat commoriturq; ciùd.*

*Judicij ignoras flamas ignemq; futuri,*

*Omnes exuret qui sine fine malos.*

23. SANCTVS DIACONVS VIE  
nensis Galliæ, cum horribiliter tru-  
cidaretur, & torqueretur,  
inquit:

**N**ihil horribile est, ubi diligitur pater,  
& nihil doloris, ubi fides est Christi.  
Euseb. lib. 5. cap. 1.

*Christiadum hæc cœtus Vienensis verba minister,  
Tormentis varijs excruciatus, ait:*

- 1, Terrorem expellit tristem dilectio patris,  
 2, Non dolor ullus ibi est, Christi ubi vera fides.  
 3, Omnia dura Dei perfert dilectio vera,  
 4, Inq[ui] malis sperat, ælica regna fides.

24. ATTALVS, CVM IN SELLA  
 ferrea, prunis subteriectis, torreretur,  
 voce magna ita ad plebem  
 exclamauit:

**E**cce hoc est homines comedere, quod  
 vos facitis: quid à nobis velut occul-  
 tum facinus exquiritis, quod vos aper-  
 ta luce committitis? Nos enim neq[ue] comedi-  
 mus homines, neq[ue] quid mali egimus. Euseb.  
 lib. 5. cap. 3.

Quis voret humanas, cōstat, cum sanguine carnes,  
 Ad populum in prunis Attalus vstus ait.  
 Quid velut occultum ex nobis inquiris & igne,  
 In claro facinus quod facis ipse die?  
 Non hominum carnes crudeles edimus vnquam,  
 Egimus & sceleris nil, pia turba, mali.  
 Humanas laniant carnes comedunt q[ui] feroce,  
 Corpora qui exurunt excruciant q[ui] pia.

25. IDEM INTERROGATVS  
 quod nomen habeat Deus, Re-  
 spondit:

Qui

**Q**ui plures sunt, nominibus discernuntur, qui vñus est, non indiget nomine.

*Quod Deus occultus nomen, quæ situs, haberet  
Attalus, hæc retulit verba notanda pijs:  
Qui numero existunt plures, hi nomine distant,  
Qui Deus est vñus, nomine quippe caret.*

## 26. EVSEBIUS IBIDEM.

**M**aior inest virtus cruciatis, quam cruentibus.

*Hæc de Martyribus sanctis Decioꝝ tyranno,  
Eusebius docto protulit ore pius:  
Maior inest virtus cruciatis, gloria maior,  
Quam trepidis, alios qui cruciare solent.  
Sic ouat in prunus martyr Laurentius vñsus,  
Inter ouans Stephanus verbera dura fuit.  
Ast Decium torquet mentis formido malignæ,  
Et cæco quatitur verbere saua cohors.*

EX EODEM CAPITE 4. LO-  
quens de Irenæo Presbytero.

**S**cimus quod solus officij gradus non facit aliquem iustum, sed vita meritum.

*Non gradus officij reddit, non gloria, iustum,  
Sed meritum vita, iustitiaꝝ decus.*

Eusebius dixit, monstrans quis munere dignus,  
Præfulus est sancti presbyteri q̄ p̄j.

27. CAPITE 16. APOLLINARIS  
de Marcionistis, qui præter cæteros er-  
rores duos deos fixerunt, alte-  
rum autorem mali, alte-  
rum autorem boni.

**Q**Væ potest esse apud eos martyrij veri-  
tas, vbi Christi veritas non est?

,, Gloria martyrij nulla est, sed dæmonis astus,  
,, Verbi vbi desuerit gloria vera Dei.  
Marcio, sic falsa impugnant tua dogmata Christi  
Verbum, quæ paucis sic memorare liber:  
Principia asseruit vanus duo Marcio rerum,  
Aeternos pariter numina vana, Deos.  
Alter, ait, Deus est spacioſi conditor orbis,  
Causa mali, legem qui dedit ipſe malus.  
Alter is est, nobis Gnatum qui misit in orbem,  
Qui Deus in Gnato sustulit omne nefas.  
Quosq; Deus sanxit thalamos damnauit honestos,  
Stuprator patræ virginis ipſe suæ.

28. IRENAEVVS EPISCOPVS  
Lugdunensis Galliæ.

**H**AEC quæ à pueris discimus, cum ipsa  
anima coalescunt, & inhærent ei. Ita  
multo

multò magis mihi temporis rerum gestarum inhæret memoria, quām præsentis.

*Altius insidunt animo q̄z reposa manebunt,*

*Quæ primo à tencris imbibit ore puer.*

*Quæ puer excepti Polycarpi tempore, inhærent  
Certius, his multo quæ modò dīcio senex.*

*Hæc sancto felix Irenæus protulit ore,  
Claruit auditor qui Polycarpe tuus.*

29. S. POLYCARPV S CVM AV-  
diret voces blasphemias in Deum, & spar-  
gi falsa dogmata, & designatum esse  
grande aliquod facinus, so-  
litus est dicere:

**D**eus bone, in quæ tempora me refer-  
uasti, ut hæc audiam?

*Blasphemias quoties voces audiret, & igens*

*Flagitium admissum, sic Polycarpus ait:*

*O Deus, in quæ me seruasti tempora viuum,*

*Vt feriant aures criminata tanta meas?*

*Sic pius exclamat martyr, quo tempore longè*

*Iustitia maior cultus in orbe fuit.*

*Diceret heu nostro sanctus quid tempore martyr,*

*Quo ruit in quoduis impia turba scelus?*

30. Idem

30. IDEM CAP. XXIIII. AD VI-  
torem Episcopum Romanum, cùm  
disputaretur, quo tempore fe-  
stum paschæ celebran-  
dum esset.

**D**issonantia ieunij, fidei consonantiam  
non rumpit.

*Hac Polycarpus ait, celebrent quo tempore pascha,  
Cùm sancti crebrò differuere patres.  
Non diuersa fidem rumpunt ieunia eandem,  
Non alius festi dissimili sue dies.*

*Colos. 2. Sic ait afflatus cœlesti numine Paulus,  
Ad loca qui cœlitertia raptus erat.*

*Nemo cibo, potu, veste, aut nos parte diei  
Iudicet: hæc abeunt, vt leuis umbra perit.  
Est corpus Christi, pietas, dilectio vera,  
Quæ tantum ex pura mente fidei q̄ venit.*

31. EVSEBIUS CAP. XXVIII. DE  
Artemonitis hæreticis corrumpen-  
tibus & contemnentibus scri-  
pturas diuinias.

**I**gnorantes Christum, ideo eum non inue-  
nerunt, quia non rectè quæsuerunt.  
,, Non ideo Christum cæci inuenere benignum,  
,, Querendi vero quod caruere modo.

*Est*

*Est modus hic verus, sacrata volumina recte  
Scrutari, Christum quæ patefacta docent.*      „  
„

32. DE IIS DEM, PRAE STV-  
dio Geometriæ contemnentib,  
doctrinam Euangeli.

**D** Erelinquentes sanctas Dei scripturas,  
Geometriam tractant, tanquam qui  
verè de terra sint, de terra loquuntur,  
& ideo eum qui desursum est, & de cœlis ve-  
nit, ignorant.

*Lata Geometricæ tractantes climata terræ,  
Veri liquerunt dogmata vera Dei.  
Qui sunt terreni, tantum terrena loquuntur,      „  
Cœlica cœlestes gaudia sola petunt.      „  
Non igitur norunt supera qui venit ab arce,  
Aeterni Gnatum, gaudia nostra, Dei.  
Non ars damnatur, damnatur at artis abusus,  
Hoc studio verum deseruisse Deum.  
Hanc olim Reges artem coluere ducesq,  
Plurima quæ toto monstrat in orbe bona.*

33. DILEMMA ADVERSVS  
eosdem, ibidem.

**Q** Vi sacras depravant scripturas, aut  
non credunt diuino spiritu esse con-  
scriptas, & sunt infideles, aut semet-  
ipsos

ipos sapientiores arbitrantur esse spiritu sancto, & quid aliud indicant per hoc, nisi quia Dæmone aguntur?

*Quanta sit illorum, spernunt qui dogmata sacra Scripturæ, improbitas impietasq;. vide.*

*Aut etenim conscripta negant à flamine sancto Biblia, iustificans defuit hisq; fides.*

*Aut sibi maiorem diuino numine sumunt Notitiam, abrepti dæmonis arte nigri.*

34. EX LIBRO VI. CAP. II. DE Origene, qui patrem Leonidem detentum à Seuero Imperatore, 18. in vinculis, cùm ipsum mater sublatis clam noctu vestibus, ne patrem ad supplicium sequetur, impediret, scriptis literis hor-tatus est ad constantiam in confessione fidei, inquiens inter alia:

**V**ide pater, ne propter nos aliud aliquid velis.

*Impius est Cæsar conatus sæpe Seuerus*

*Tollere Christicolas excrucianto piros.*

*Hos inter sanctus cùm forte Leonida martyr,*

*Et pater Origenis carcere clausus erat.*

*Hunc statuit patrem Christi inflammatu amore,*

*Filius ad mortem suppliciumq; sequi.*

Mater

Mater ut impedit cari conamina gnati,  
 Subtraxit longam nocte silente togam,  
 Hui puer elusus maternis artibus audet,  
 Quod fuit etatis non puerilis, opus.  
 Nam rogat scriptis detentum in carcere patrem,  
 Quod cœpit teneat perficiat q̄s fide.  
 Non pater, hanc addens vocem, carissime, nostro,  
 Non aliud cupias nomine quæso pater.

35. ELOGIVM POPVLI DE O-  
 rigene, qui exemplar fuit omnibus  
 doctoribus Ecclesiæ & vita ho-  
 nestæ & doctrinæ veræ.

**Q**uis hic est, qui quale habet verbum,  
 tales habet & vitam. Quoniam quæ  
 docet, hæc agit, & quæ agit, hæc docet.

Talia de Origene est populus doctore locutus,  
 Dogmate qui clarus, qui pietate fuit.  
**O** quam magnus hic est vir, habet qui qualia ver-  
 Talem habet & vitam sanctus ubiq̄ piam. (ba,  
 Quæ docet, hæc vita præstat quoq; moribus ipsis,  
 Quæq; agit, hoc populum sedulus ore docet.

36. DICTVM POTAMIENAE  
 virginis nobilis ad Basilidem, cum denu-  
 data ad supplicium duceretur, propter  
 Christi confessionem, atq; is homi-  
 nes impudicos irruentes in  
 sanctam virginem auerte-  
 ret. Eus lib. 6. ca. 5. Cer.

**C**ertus esto, quod cum abiero ad Dominum meum sine mora, boni huius remunerationem parabo.

Potamienae fuit clara de stemmate virgo,  
Ob Christi nomen tradita sancta neci.  
Hanc ubi nudatam raptaret lictor ad ignem,  
Tentat lenonum tollere turba ferox:  
Basilides casto ductus sed amore pudoris,  
Tutatur corpus virgineumque decus.  
Nam repulit cæcam casto de corpore turbam,  
Talia cui virgo verba pudica refert:  
Huius, ne dubita, reddam tibi præmia facti,  
Cum veniam in Domini cælica regna mei.

37. EX CAPITE VII. DE VLTIONE & pœniſtrium falſorum testium, qui contra Narcissum Episcopum Hierosolymitanum, falſum crimen testati erant, quorum, vt ipſi optarunt, ſi falſa testarentur, primus incendio perijt, alter morbo regio, tertius oculis aſſiduè lachrymando orbatus eſt: de quibus Eusebij memorabile dictum extat.

**N**on ille magnus diuinæ prouidentiæ oculus quiescit in longum, ſed in impios vltionem per ea ipſa, quæ ſibi in periurijs statuerant, maledicta ingerit.

Nat-

Narcissus Solymæ delatus Episcopus vrbis  
 Infami est falso crimine s̄epe pius.  
 Sic tres procedunt, falsum qui crimen iniqui  
   Testantur, tali conditione viri.  
 Ignis, ait primus, falsum si testor ab alto  
   Quo subito exurar, decidat ipse precor.  
 Herculeo peream morbo precor, alter, atroci,  
   Hæc ego si testor crimina falsus, ait.  
 Tertius, his caris, ait, opto priuer ocellis,  
   Si refero falsus crimina falsa sciens.  
 Innocuus falso damnatur Episcopus, atq;  
   Periuros sequitur pœna petita viros.  
 Non oculus Domini, qui conficit omnia magnus,  
   Quæ cœlum, tellus, quæ mare cuncta tenet,     ,,  
 Pœnas in longum scelerum differre nocentum  
   Consuevit, iuste quas meruere graues.     ,,  
 Sic pœnas subito periuris ingerit vltor,  
   Impia quas statuunt per maledicta sibi.     ,,  
 Nam perijt primus, flammis vtricibus vstus  
   Testis continuo, cum pereunte domo.  
 Sic rigidus subito testis procumbit & alter  
   Morbo, quem petijt spumens antè, sacro.  
 Tertius ex casu sociorum, numinis iram  
   Spectans, non oculos se latuisse Dei.  
 In medium populi prorumpit, & ordine pandit  
   Exclamans, sceleris crimina magna sui.  
 Atq; dolens lachrymis oculos noctuq; dieq;  
   Deflendo facinus, perdidit ipse suos.

38. SERAPIVS EPISCOPVS AN  
tiochensis, de scriptis D Petri & aliorum  
Apostolorum, quæ sola, reiectis cæteris  
sub illorum nomine editis, ab  
Ecclesia recipienda sunt,  
ita testatus est:

**N**os, fratres, & Petrum & alios Aposto-  
los recipimus, sicut & Christum. Quæ  
autem sub eorum nomine falsa ab alijs  
conscripta sunt, velut gnari eorum sensus ac  
sententia, declinamus, scientes, quod talia no-  
bis non sunt tradita.

Talia de Petri scriptis, alijsq; vetustis  
Serapius sueuit dicere verba prius:  
 " Quæ nobis Petrus, pia scripta, alijsq; dedere  
 " College, ut Christi dogmata vera puto.  
 " Cætera, quæ multi sparserunt, falsa docentes,  
 " Hæc fugimus, gnari mentis Apostolicae.

39. DIONYSIVS EPISCOPVS  
Ecclesiæ Antiochenæ ad tor-  
tores suos.

**Q**uid infectando laboratis? caput meū,  
pro quo magnoperè fatigamini, auul-  
sum ceruicibus sumite, & donū ma-  
gnum ad tyrannum adferte.

Hæc

Hac ad tortores dixit Dionysius, vrbis  
 Antiochæ præful, verba notanda, suos:  
 Quid tantum capit is vos, me insectando, labore, <sup>m</sup>  
 Quod cupitis facile est obtinuisse citè.  
 Vestro, lictores, hoc, quo d' petit ipse, tyranno,  
 Anulsum nostro corpore fert e caput.

40. DE APOLLONIA VIRGINE  
 Alexandrina, cui cùm Decij tortores ef-  
 fringentes dentes, viuam se combustu-  
 ros comminarentur, ipsa spon-  
 tè cum stupore omnium, in  
 rogum accensum prosi-  
 lijt. Cap. 31.

Tempore quo Decius Romanus sceptra tenebat,  
 Christe, ferox semper qui tuus hostis erat.  
 Virgo fuit Christi, quæ fassa Apollonia nomen,  
 Edebat fidei plurima signa suæ.  
 Vrbs ab Alexandro patria est sortita potenti  
 Nomen, vbi clarent ostia Nile tua.  
 Huic Decius saevus dentes effringere iussit,  
 Atq; piam misericordia excruciare modis.  
 Ast hæc firmato Christum cum pectore virgo  
 Agnoscit, magna cum pietate Deum.  
 Terreat ut teneram, flammæ ignes q; minantur,  
 Extracto fiat quo cinis illa rogo.  
 Hic Christi, mirum, succensa ab amore puella,  
 Prosternit in flammæ, non remorante pede.

Hic capit attonitos etiam tremor hosce ministros,  
 Impia qui patrant talia facta, truces.  
 Promptior ad mortem currat quod virgo tenella,  
 Tortor quam pœnas irroget ipse ferox.  
 Virginis tantus fuit olim pectoris ardor,  
 In Christum sponsum tantus amorq; suum.  
 Supplicijs quamuis contortæ, atq; ignibus vstæ,  
 Attamen haud sponsum deseruere suum.

41. DE PHILIPPO ARABE, PRIMO Imperatore Christiano, qui prohibitus à Fabiano Episcopo, ne interesset sacris paschæ, priusquam confiteretur peccata sua, & staret inter pœnitentes in templo, iuxta morem veteris Ecclesiæ, Episcopo obtemperauit, ostendens diuinum sibi inesse metum & fidem religionis plenissimam, capite 15.

Primus Arabs Latia clarebat in vrbe Philippus,  
 Amplexus Gnatii dogmata vera Dei.  
 Quem sacra exclusit Fabianus Episcopus ade,  
 Cùm celebranda ipso paschate sacra forent.  
 Ante sue fidei quam vera signa dedisset,  
 Et scelerum constet pœnituisse satis.  
 Ergo iubet templo sceleratos inter & ipsum  
 Peccati veniam poscere rite sui.

Ritus

Ritus erat quondam pius hic, consistere magni  
 In templo sceleris perfidiæq; reos:  
 Et veniam lapsus per multos poscere soles,  
 Ut pateat verus per pia corda dolor.  
 Atq; etiam Domini fieret cum cœna, iubebat  
 Aede sacra sceleris præsul abesse reos.  
 Post ubi constabat verè doluisse, redibant  
 Ad cœtus, nuper putrida membra, pios.  
 Sic pius & Cæsar Fabiani voce Philippus,  
 Inter stat scelerum flet q; dolet q; reos.  
 Cæsar is hæc pietas magna est celebranda Philippi,  
 Cætibus & merito nunc repetenda pijs.

42. DE BERYLLO BOSTRENÆ  
 Arabiæ vrbis Episcopo, quem Origenes  
 refutauit, & ab errore reduxit, afferentem  
 cum Cerintho, Ario, Samosateno, Serue-  
 to, & similibus hæreticis, Christum non  
 extitisse ante assumptam humanam na-  
 turam, neque propriam habere Deita-  
 tis substantiam, sed paternam in eo  
 Deitatem habitare, eiq; quasi  
 hospitem & amicum ad-  
 sistere, capi. 24.

Bostrenæ quondam Beryllus Episcopus vrbis,  
 Clarus Arabs, magna vir pietate fuit.  
 Hic ubi multa pius veræ monumenta dedit  
 Doctrinæ, lapsus dogmata falsa refert.

Hæc inter docuit, Christum non antè fuisse,  
 Virgine quā ex Maria carnea membra capit.  
 Nec propriam æternam per se Deitatis habere  
 Naturam, acceptam de Deitate patris.  
 Sed patris in Christo Deitas sit, ut hospes in aula,  
 Ex qua, cùm visum est, mox redditurus abit.  
 Origenes cuius blasphemum dogma refutans,  
 Christi naturas asserit esse duas.  
 Diuinam assumpit quæ humanam fœdere miro,  
 Quo Deus est natus virgine verus homo.  
 His etiam dictis conuertit dogmatis ipsum  
 Autorem, rarum est quod pietatis opus.

43. DICTVM ORIGENIS DE  
veritate doctrinæ Ecclesiæ.

Capite 15.

**V**eritas idcirco non partes suas omittere  
 debet, quia eas sibi præueniens falsitas  
 vendicet.

Dogmata quid sapiens tua præfers Ethnica falsa  
 nostris, durarunt quod magis illa diu?  
 Vera suas retinent partes mendacia quamvis  
 Prae veris, latè tempora longa vigent.  
 Sic ait Origenes contra Ethnica scripta verendus,  
 affirmans summi dogmata vera Dei.

44.D

44. D. CYPRIANVS MARTYR  
 contra Nouatum Hæreticum, negante[m]  
 remissionem peccatorum lapsis post Ba-  
 ptismum, aut abnegationem Christi,  
 etiam si verè agant pœnitentiam,  
 temporibus Valeriani Cæsa-  
 ris, Anno Christi 261.

Capite 33.

Imperij summus Latij quo tempore Cesar  
 Militibus charus Valerianus erat.  
 Perficis innitens cuius ceruice tyrannus  
 Victor, consueuit scandere Sopirequum.  
 Atq[ue] seni pellem seu us detraxit anhelo;  
 A capitis summo vertice ad usq[ue] pedes.  
 Presbyter ingenio prauus tum dogma Nouatus  
 Romana tetrum sparsit in vrbe nouum.  
 Peccati restet quod nulla remissio, si quis  
 Labatur, Christi nomine lotus aqua.  
 Delicias carnis propter seu gaudia, Christum  
 Si neget, aut mortis supplicij metum.  
 Plurima scripturae diuinæ dicta refutant  
 Pestiferum cunctis dogma Nouate tuum.  
 Visceribus Christi recte membris q[ui] resectum,  
 Sanctus ob id martyr, te, Cyprianus ait.

45. DE GALLO VIBIO IMPE-  
 ratore, pro cuius regno, dum viri san-

D 4

&ti summo & æterno Deo supplicarent,  
felix eius gubernatio fuit. Postea, cùm  
eosdem persequeretur, & fugaret,  
vnà cum illis, pacem etiam &  
prosperitatem regni ami-  
sit, lib. 7. cap. 1.

**C**rudelis Decio similisq; libidine, Gallus  
Est Vibius, sæuus Cæsar vt ipse Nero.  
Huius erat primùm felix moderatio regni,  
Dum sanctos fouit sanctus & ipse viros.  
Supplicibus manibus regno qui commoda Galli  
Orarunt summum nocte dieq; patrem.  
Hos vbi persequitur crudelis & impius, vnà  
Cum sanctis pacis commoda cuncta fugat.

46. DICTVM CORNELII EPI-  
scopi Romani ex veteri regula seu decre-  
to, de quæstione orta in Aphrica, vtrum  
oporteat hæreticos relinquentes erro-  
res rebaptizari, quod sanctus Cypria-  
nus, cum cæteris Aphricanæ Ec-  
clesiæ Episcopis & sacerdo-  
tibus initio sensit,  
capite 2.

**P**Ost abiectionem proui, & confessionem  
recti dogmatis, hæreticos sola manus im-  
positione censemus purgandos.

EST

**I**st Libycos inter sanctos hæc quæstio mota,  
Romanoſq; patres exagitata diu.

**H**æreticos vtrum sit opus, quos pœnitent ipſos  
Erroris, rursus tingere fonte sacro.

**Q**uod statuit primum martyr Cyprianus & Aphri,  
Doctrina patres conspicuiq; fide.

**R**omanus contra præſul Cornelius Aphros,  
Maiorum dicit sat retinere modum est.

**Q**uem tali nobis liquerunt lege notatum,  
Aeternæ digni laudis honore viri.

**H**æreticos, qui praua negant, & recta fatentur,  
Imposita mundent signa probata manu.

#### 47. DIONYSIVS EPISCOPVS

Alexandrinus ad Philemonem presby-  
terum Romanum, de legendis  
libris Hæreticorum, Eu-  
seb. capit. 6.

**E**Go tractatus hæreticorum lego, & tra-  
ditiones eorum perscrutor, vt ex ipso-  
rum verbis arguere eos possim, & vera  
à falsis discernam, iuxta Apostolum: Omnia  
legite, quæ bona sunt, tenete.

1. Thel. 5.

**R**egis alexandri præſul Dionysius vrbis,  
Talia de scriptis rettulit hæreticis.

**H**æretorum ego scripta lego scrutorq; libenter,  
Omnia quæ tradunt præcipiuntq; suis.

D 5

*Arguere, ut proprio victos sermone, rebelles,*

*Noscere & a falsis dogmata vera queam.*

*Cuncta, ait afflatus d' uino numine Paulus,*

*Noscite, quod fuerit, ritè tenete, bonum.*

*I. Thess. 5.*

48. DE MARINO MILITE HIEROSOLYMITANO, qui delatus ex inuidia à collega, quod Christianus esset, quem se confessus erat coram iudice, & confirmatus ab Episcopo Theotecnō, capit is damnatus est.

Capite 12.

*Miles erat Solymæ, clarus Marinus, in vrbe*

*Cæsarea, & meritis auctus honore suis.*

*Inuidet huic meritum collega malignus honorem,*

*,, Inuidia est nullum maius in vrbe matum.*

*Clamat, hic est tanto miles non dignus honore,*

*Nang, suum Christo nomen & ipse dedit.*

*Hic, vbi Christicolam clara se voce fatetur,*

*Intrepidè temnit iudicis atq, minas.*

*Tres statuit iudex horas, vt dicat in illis,*

*Cæsar, an Christi numina sancta colat.*

*Judicis à solio dicit Theotecnus in ædem*

*Marinum, sanctus præful in vrbe, pium.*

*Confirmat multis animum dubitantis, & auget,*

*Ne timeat trepidus, verbera, flagra, necem.*

Postea

Postea firmatum deducit ad intima templi,  
     Edat ut hic fidei publica signa suæ.  
 Librum Euangelicum, gladiumq; ostendit eburnū,  
     Eligat vtrumuis quem velit ipse sibi.  
 Eligit oblatum librum, gladiumq; repellit  
     Marinus flagrans sanctus amore Dei.  
 Talibus hinc verbis præsul pius incitat illum,  
     Ut Christi constans cœlica regna petat.  
 Delige præ cunctis venturæ gaudia vitæ,  
     Gaudia præsentis mox peritura fuge.  
 Aeternam spera vitam, sic perge coronam  
     A Domino expectans, gaudia læta tibi.  
 Præsulis hac miles firmatus voce regressus  
     Iudicis ad sedem, talia dicta dedit:  
 Mefateor Christi seruum, non Cæsaris vñquam,  
     Quod sevus mandat, numina vana colam.  
 Est Deus æternus, cœli terraq; creator,  
     Qui supera gnatum misit ab arce suum.     ,,  
 Hunc ego adoro Deum, patrē, quem nomine gnati  
     Inuoco, non hominum numina falsa colam.     ,,  
 Hæc ubi constanti Marinus pectore dixit,  
     Abripitur, mortis supplicijq; reus.

49. DE ASTERIO CIVE ET S.E.-  
 natore Romano, cuius precibus ad De-  
 um, præstigiæ in immolandis hostijs,  
     apud Cæsaream Philippi, diuini-  
     tus patefactæ sunt, Ca. 103.

Asteri-

Asterius Roma ciuis clarusq; Senator,  
 Sanguine patritio nobilis atq; pius.  
 Edidit exemplum verae pietatis in vrbe,  
 Quæ notum à claro Cæsare nomen habet.  
 Quam Cæsar quondam præstans virtute Philippus,  
 Creditur ad Libani constituisse iugum.  
 Iordanis horrisoni qua prima fluentia resultant,  
 Et Panei vortex surgit ad astra poli.  
 Hic vbi vidisset gentili more bidentes  
     Offerri Sathanæ, tartareis q; Dijs:  
 Et nusquam subito appareret victimæ, in arca  
     Insidijs Stygij præstigijq; ducis.  
 At homines cæci statuebant, numinis illi  
     Diuinæ signum prorsus inesse rei.  
 Namq; modo occulto sursum quod victimatendat  
     Astriferum in cœlum, credula turba putat.  
 Asterius tanto gentes errore misertus  
     Constringi insidijs dæmonis ipse dolis.  
 Ad cœlum tendens oculosq; manusq; precatur,  
     Et fusis lachrymis talia verba refert.  
 „ Christe Deus, super omne potens, qui cuncta gubernas,  
 „ Qui genus humanum respicias atq; foues. (nas,  
 „ Aetherea es missus Gnatus qui patris ab arce,  
 „ Ut Stygij perdas regna tremenda lupi.  
 „ Nominis ad laudem patrisq; tuiq; reuelas  
 „ Dæmonis has artes præstigiasq; mali.  
 Sic ait: & pondus pia vota habuisse precantis  
     Certa dedit Dominus talia signa pio.

Aetherea

*Aethereas latam populus quam credit ad arces,  
Victima conspicuis reddit a fertur aquis.*

50. DICTVM DIONYSII EPI-  
scopi Alexandrini, de pœnis impio-  
rum perpetuis, & liberatione  
piorum, cap. 20.

**P**Ersecutores nostri in semetipsos tela ver-  
tunt. Insecutus est hos pestilens morbus  
& plaga terribilis, sed illos terribilior &  
grauior, quos nec spes erigit futurorum. No-  
bis vero hæc omnia exercitia quædam virtu-  
tis & fidei probamenta dicuntur.

Talia de pœnis dixit Dionysius Aphèr,  
In iusti meritas quas sine fine ferent.  
Quas sibi patrantes accersunt criminis sponte,  
Et iustos quænam gaudia læta manent.  
Quando viris tentant iustis inferre tyranni,  
In se conuertunt impia tela truces.  
Pestifer hic morbus sic nunc infestat, & vrit  
Multorum merito corpora fœdaluſ.  
Est q̄ magis tantò plaga hæc metuenda tyrannis,  
Nulla quod his vita spes melioris erit.  
Non crux illa diu, quam fert Ecclesia, durat,  
Pro cruce redditur gaudia læta pijs.  
Rebus in aduersis virtus exercita crescit,  
Iustorumq; fides fit magis aucta malis.

Lima

22

22

22

22

22

“ *Lima velut ferrum, sic aduersarius hostis  
Nos acuit, virtus languit hoste carens.* ”

51. DICTVM DIONYSII ALEXANDRINI de Nepote, quem quidem propter ingenium, eruditionem & pietatem, veneratus est & dilexit, sed doctrinam eius erroneam reprobavit, inquietus inter alia:

**I**N alijs quidem multis, etiam ego amplector & diligo Nepotem, vel pro fide sua, vel pro eruditione & studio scripturarū, & præcipuè exercitio psallendi: sed reuera plus omnibus, & amanda & præferenda est veritas, laudare oportet, & absq; inuidia amplecti, si quid rectè est dictum, discuti verò & discerni, si quid minus sanè scriptum est.

*De docto retulit Dionysius illa Nepote,  
Dogmata qui doctus falsa professus erat:  
Magno equidem doctum complector amore Nepo-  
Scripturæ gnarum psallere & arte bonum. (tē,  
,, Præ cunctis veri semper veneranda potestas,  
,, Veraq; sunt cunctis anteferenda bonis.  
,, Inuidia absq; decet reuerenter vera tueri,  
,, Laudibus & meritis tollere vera suis.*

*Quæ*

*Quæ verò specie fucosa dicta videntur,  
Doctis sunt rectè discutienda viris.*

52. DICTVM EIVSDEM DE  
Apocalyp. Iohannis.

**I**N hac, quia multa diuina sacramenta sermonibus conteguntur humanis, non tam iudicijs discernenda, quām fide credenda, & ideo non reprobo, quæ non intelligo, sed tantò magis admiror, quātò minus assequor.

*Talia de libro dixit Dionysius olim,  
Mystica Ioanni qui patefacta refert.  
Multæ sub humanis subsunt mysteria verbis,  
Quæ non iudicium, sed capit una fides.  
Non equidem reprobo, quæ non intelligo, verùm  
Hoc magis admiror, quò capio illa minus.*

53. EXHORTATIO GREGORII  
Episcopi Neocæsariensis in Ponto, ad duos fratres discordes inter se, & litigantes de stagno hæreditario, quod postea præcibus Gregorij. vt discordiæ occasio tolleretur, exiccatum est. Capite 25.

**N**OLITE, filioli, rationabiles animas promutis animantibus violare, fraternalm pacem quæstus cupiditate dissoluere, Dei leges, & naturæ pariter temerare.

*Quæ*

Quæ regio claro celebratur nomine Ponti,  
Progenuit fratres, numine dante, duos.  
Quos inter fratum velut est concordia rara,  
Materiam litis patria stagna dabant.  
Hos vbi Gregorius discordes audijt esse,  
His præsul cœpit conciliare modis:  
Filioli, cur sic animas ratione vigentes,  
Perditis in rebus, quæ ratione carent?  
Et causa quæstus, pacem quid soluitis almam?  
Fratres quam dulcem semper habere decet?  
Atq; Dei leges venerandas iuraq; sacra  
Natura rixis soluitis armigeris?  
Sic ait, & fratres stagni deducit ad oras,  
Hic, dicens, tollam iurgia vestra citò.  
Et genibus flexis palmas ad sydera tendens,  
Ad Dominum fundit talia vota precans?  
O Deus, ô clemens, lapsi susceptor Adami,  
Pœnas qui nostri criminis ipse leuas.  
Ad terram referens offensus verba recentem,  
Fructibus hinc tellus sis maledicta tuis.  
Te precor, vt sicces stagnum, tollasq; fluenta,  
Quæ fratres inter iurgia tanta cident.  
Non natet hic piscis post hac, sint omnia campus,  
Qui pecudes pascat, qui sata flaua ferat.  
Ne moueant fratres inter se prælia sœua,  
Ne stagni causa tot perijsse velis.  
His dictis, virgam stagni protendit ad oras,  
Moses vt quondam ad rubra fluenta maris.

Mo<sup>x</sup>

Mox aqua prona fluit celeri pede ducta sub imos  
 Fontes, mox cunctis hic vada siccata patent.  
 Fit stagnum rastri patiens, fit gramine abundans,  
 Atq; virens campus, qui lacus antè fuit.

54. DE SACERDOTE APOLLI-  
 nis conuerso ab eodem Gregorio  
 ad verum Deum in Alpibus.  
 cap. eodem.

Gregorius quondam fertur transisse per Alpes,  
 Tempore quo brumæ frigore cuncta rigent.  
 Hic iuga cum montis iam transcendisset ad alta,  
 Aggeribus niueis omnia plena iacent.  
 Alpibus in vastis non usquam rusticæ præsul,  
 Ad qua diuertat, commoda tecta videt.  
 Ast procul in luco prospexit Apollinis ædem,  
 Atq; humilis iuxta parvula tecta domus.  
 Phano quo responsa dedit consultus Apollo,  
 Hinc tulit Antistes commoda multa sibi.  
 Hanc præsul fessus sanctus diuertit in ædem,  
 Vnius & spacio noctis in æde manet.  
 Postmodo nulla dedit mendax oracula dæmon,  
 Tanta nec Antistes commoda, ut antè, tulit.  
 Multa ferat quamvis templo sua dona sacerdos,  
 Atq; litet sacris, admoueatq; preces.  
 Non tamen vlla dedit Dæmon responsa vocatus,  
 Sed velut iurdus statq; manetq; Deus.

Curtaceat subitò Dæmon, miratur, & orat  
Antistes causam noscere s̄epe dolens.

Te precor o fatur, quæ tanta si c̄ntia, nobis  
Reddunt quæ mutum te, in mea vota, Deum?

Quæso tuum quisnam sanctū iam numen adoret,  
Quisue tuo phano munera sancta ferat?

Si mihi non reddes toties responsa votatus,  
Pro meritis homines numina sancta colunt,

Hæc crebrò repetit phani cùm verba sacerdos,  
In somnis Dæmon talia dicta dedit:

Noscere quæ noua sint hæc nostra silentia, quæris  
Cur tibi responsum non velut antè feram.

In tua quo toties phani me vota vocabas,  
Iam mihi non licitum est introyisse locum.

Quærenti causam, phani me excludit ab antro,  
Gregorij aduentus, dixit, & ora p̄ij.

Dic ait, o nobis, quonam placabere dono,  
Tanti quæ misericordia est medicina mali?

Est, ait, hac medicina, iterum si suerit ille  
Gregorius phanum me subiisse meum.

Hic animi dubius phani tristis q̄ sacerdos,  
Gregorium sequitur, non remorante pede.

Hunc ubi detentum niuibus fortè esset adortus,  
Omnia sic orans, ordine facta refert.

Hactenus in phano nostro veneratus Apollo  
Clarus responsis auxilioq̄s suit,

Vnde ego sacratus Phœbi persæpe sacerdos  
Corporis & vitæ commoda multa tuli.

A 57

Ast vbi tu nostro noctem transegeris hospes  
In phano, est mutus redditus inde Deus.  
Mæstus vbi causam, taceat cur mutus Apollo,  
Quero, mihi dixit, te yetuisse loqui.  
Nunc ego te vir sancte precor, permitte, vt Apollo  
Responsum reddat, sueuit vt antè, mihi.  
Hoc tua te pietas moneat, nostrumq; facellum,  
Quod dedit hospitiū munera grata tibi.  
Gregorius phano gratus, nil ipse moratus,  
Dæmonio scripsit talia verba citò:  
Ad sedem redeas Dæmon, permitto, relictam,  
Et quæ consuesti facta malignus agas.  
Accipit hanc latus chartam, ponit q; sacerdos  
Idolum iuxta dæmonis inde sui.  
Hanc vbi legisset chartam consultus Apollo,  
Responsum fallax rursus, vt antè, dedit.  
Incipit hic recta phani ratione sacerdos  
Hæc animo secum sic reputare suo:  
Cogitur è phano noster discedere Apollo,  
Gregorij ad tanti iussa verenda viri.  
Nec trepidus dæmon redit huc, nisi iusserit ille  
Gregorius, tanta vir pietate Dei. (iop)  
Quanto igitur nostro est hic sanctus Apolline ma.  
Gregorius, cuius iussa verenda timet?  
Hinc foribus phani clausis contendit ad ædes  
Gregorij, pandens ordine cuncta viro.  
Hanc quoq; quæ fuerat data nuper epistola tradit  
Ephano ablatam dæmonis ante sui.

Atq; rogat supplex, sibi clemens monstret ut illum  
 Gregorius verum, quem colit ipse, Deam.  
 Ex cuius virtute Dei, gentilibus audet  
 Dicere, ut hæc faciant. quæ iubet ipse Dijs.  
 Enixè hoc peteret constans cùm sæpe sacerdos,  
 Gregorius tandem quod petit omne facit.  
 Cætibus ergo pjs iunctum pia dogmata tradens,  
 Instituit veri relligione Dei.  
 Fraudibus hinc mundi, Satanæq; errore relictis  
 Est mersus Christi nomine fonte sacro.  
 Claruit hic tanta post vir pietate fideq;  
 Gregorij extiterit præsul ut ipse loco.

55. MIRACULVM DE RVPE  
 mota per preces D. Gregorij, pro  
 extruendo facello. cap.  
 eodem.

Quo Christi primùm cæperunt tempore pauci  
 In pagis cætus rustica turbæ pjs.  
 Dogmata sunt Christi sub dio tradita, donec  
 Sunt multis paßim condita templæ locis.  
 Gregorius Ponti præclarus Episcopus oris,  
 Hoc inter fidei plurima signa dedit.  
 Rustica Gregorij fertur conuersa beati  
 Ad Christum sancto dogmate turbæ Dei.  
 Condere quæ Christo statuit pia turbæ facellum,  
 Doctoris monitu consilioq; sui.

Disceret

Disceret ut Christi diuina oracula verbi,  
 Et caneret summo carmina grata Deo.  
 Ast erat angustum spacio campestris agelli,  
 Condere quo templum constituere loco.  
 Impedit hoc montis rupes obiecta facellum,  
 Cardine quo Phœbus surgit ad alta nouo.  
 Occidua mundi fluuius de parte fluebat,  
 Templo præripiens commoda & ipse loca.  
 Hic vbi de spacio templi pia turba doleret,  
 Cultrix angusti pauper inopsq; loci,  
 Gregorius tota fundebat nocte fideli,  
 Ad Dominum crebro, talia verba, prece:  
 Gnate Dei, nobis hæc qui promissa dedisti,  
 Dogmata qui colimus mente fideq; tua,  
 Montes vt nostro iussu de sedibus acti,  
 In mare se condant, præcipitent q; caui.  
 Da rogo, vt hic sancto cedat mons Christe facello,  
 Ad laudem condet quod pia turba tuam.  
 Hæc vbi sic sanctus flagranti pectore præsul  
 Orasset, plenus non dubitante fide.  
 Sedibus est spacio tantum mons ille remotus,  
 Aedem quo posset condere turba sacram.  
 Tanta fuit veterum de templis cura piorum,  
 In quibus audirent dogmata sancta Dei.  
 Et sua coniuncti facerent pia vota precantes,  
 Laudantes summa pro bonitate Deum.

Matth. 2.  
Luc. 17.

**56. DE SVBITA MORTE AV-**  
 relij Imperatoris, cùm decreto, quod  
 in Christianos dictauerat, subscri-  
 pturus esset. Cap. 26.

*Aurelius quondam sœus decretal tyrannus  
 Christicolas contradicit at iniqua greges.  
 His vbi decretis voluit subscribere Cæsar,  
 Dextera disturbat, quod parat ille, Dei.  
 Nam subita sœus punitur morte Tyrannus,  
 Sœua qui tentat tollere morte pios.  
 In iusto statuit Dominus sic ipse furori  
 Fines, Christicolis ne nocuisse queat.*

*Efai. 37. Sennacherib Dominus retrahit sic nare minacem,  
 Qua venit redeat territus ille via.  
 „ Non patimur quoties sœui voluere tyranni,  
 „ Corripimur clemens cùm volet ipse Deus.*

**57. DE VIRO QVODAM NOBILI**  
 Nicomediensi, qui tabulas decreti Cæ-  
 sarum Diocletiani & Maximiani, contra  
 Christianos publicè affixas, in conspectu  
 populi detraxit, & minutatim discerpsit,  
 atq; ob id suppliciorum omni genere  
 excruciatus in magna fidei constan-  
 tia, hilariq; animo & vultu ex-  
 pirauit, lib 8. cap. 5.

*Vir pietate fuit Nicomediensis in vrbe  
 Clarus, & antiquæ nobilitatis honoris.*

*Aufm*

Ausus hic est facinus fidei committere rarum,  
 Non metuens mortem suppliciumq; graue.  
 Affixit tabulas decreti sanguine tintas,  
 Christicolas contra Cæsar in vrbe ferox.  
 Aspicit has animi fidens ad vtrung; paratus,  
 Vnire, vel sanctam sustinuisse necem.  
 Detrahit accensus zelo, fidei q; calore,  
 Decreti tabulas, vir pietate valens.  
 Projicit in terram, pedibus manibusq; reuellens,  
 Vulnera non metuens dira subire necis.  
 Cæsaris hoc clarum facinus citè fertur ad aures,  
 Ut facile ad tales hæ patuerit sonos.  
 Namq; fuit populo coram spectante peracta,  
 Non igitur potuit res latuisse diu.  
Qui capiant, Cæsar lictores mittit in urbem.  
 Tantum ausum facinus pro pietate, virum.  
Adducunt captum, coram statuuntq; tyranno  
 Crudeli, miseris excruciantq; modis.  
 Sed fidei tantum est robur, flagra inter & ignes.  
 Tormenti ut latus perferat omne genus.  
 Robur vbi tantum fidei videre ministri,  
 Occupat horrendus pectora seu a tremor.

58. EVSEBIUS DE MARTYRI-  
 bus Nicomediensis sub Diocletia-  
 no, quorum alij obtruncati sunt  
 gladio, alij conflagrati.  
 Cap. 6.

**I**N illis (martyribus) per diuinam gratiam  
maior fidei, quam ignis ardor fuit.

*Martyribus multò maior fidei ardor in ipsis,  
Quām flammæ vrentis corpora sancta fuit.  
Hæc de martyribus, quos Nicomedia vidit,  
Eusebius sancto protulit ore pios.*

59. DE MARTYRIBVS, QVI-  
bus apud Tyrum electis, cùm bestiæ eti-  
am concitatè nocere noluerint, ho-  
mines eos impij & crudeles mise-  
rè excruciant & interfici-  
unt, cap. 7.

**B**estiarum feritas, Dei virtute mansue-  
scit, humana verò rabies, nec ferarum  
mitescit exemplis.

*Mansuescit feritas Domini virtute ferarum.  
Martyribus possint ne nocuisse pijs.  
Ast hominum rabies non his furiosa ferarum  
Leniri exemplis, cordaq; dura queunt.  
Hæc de martyribus Tyria testatus in vrbe est  
Eusebius, quorum millia multa refert.*

60. DE PHILEA EPISCOPO IN  
Thumi oppido, & Philoromo milite  
vnà capitis pœna damnatis &  
interfectis, cap. 10.

*Clarus*

Clarus erat Thumi Phileas vir Episcopus, atq;<sub>3</sub>  
 Philoromos miles, martyr vterq; Dei.  
 Martyras est inter Phileas ad vincula ductus  
 Presidis ad sedem, iudicij q<sub>3</sub> locum.  
 Hunc, claro siquidem fuerat vir stemmate natus,  
 Et cunctis tota charus in vrbe viris:  
 Hortatur præses, Christi ne dogmata propter  
 Tot tolerare velit vulnera, flagra, necem.  
 Respiciat multas lachrymas, hortatur, amat &  
 Coniugis, & sobolem, pignora cara, pater.  
 Nil ait, his flexus Phileas, sunt martyras inter  
 Coniunx & Christi, pignora cara mei.  
 Callidus hunc præses dum multis instat & vrget,  
 Philoromus clamans, hæc pia verba refert:  
 Quid studio tantum robur tentatis inani  
 Flectere, & insignem tam pietate virum?  
 Ut Phileas frangat, vos an suadetis atroces  
 Promissam Domino quam dedit ipse fidem?  
 Quidue negare Deum pœnis vos cogitis illum,  
 Mortali ut placeat vir magis atq; Deo.  
 Qui lachrymae possunt terrena flectere, cuius  
 Aspiciunt oculi gaudia vera Dei?  
 Hæc ubi Philoromos dixit, damnatus & ipse  
 Cum Philea capitis, cœlica regna petit.

61. DICTVM PHILEÆ AD  
 Thumitas de martyribus,  
 Ibidem.

**M**artyres ex scripturis sacris instituti,  
oculum mentis suæ in Deo habentes  
fixum, mortem pro pietate absque tre-  
pidatione capiebant.

*Martyres imbuti scripturis fixa tenebant  
In Domino mentis lumina ubiq; sue.*

*Lætantes ergo mortem subière cruentam,  
In mundo passi vulnera, flagra, necem.*

*Martyres intrepidi in Domino sua fata leuantes.  
Sperabant breuibus gaudia longa malis.*

62. CAPITE XVII. DE VTI-  
litate crucis sanctorum marty-  
rum & Ecclesiæ.

**I**n oriente simul atq; occidente, velut uno  
Dæmonis spiritu armati, & paribus ijs-  
demq; vitijs accensi, desæviebant tyranni,  
cùm tamen per hæc Christianorum virtus a-  
nimi & constantia fidei, probatior & magni-  
ficentior redderetur.

*Cardine quo Titan clarus conscendit Eoo,  
Et petit occiduas mox redditurus aquas,*

*Dæmonijs acti nigris vitijs q; tyranni.*

*Martyras excruciant, dilacerant q; pios.*

*Fallitur impetas longè, quæ tollere sanctos*

*Martyrio tentat, supplicio q; graui.*

*Sanctorum virtus animi, & constantia maior,*

*In dura lucet conspicitur q; cruce.*

63. De

63. DE MAXIMIANO CAESARE  
 interficiente medicos, à quibus, cor-  
 reptus morbo diuina vltione,  
 curari non potuit.

Cap. 18.

Vindice decubuit malè tortus numinis ira,  
 Hostis qui Christi Maximianus erat.  
 Durus ubi toto sœuiret corpore morbus,  
 Nec requies homini nocte dieq; foret:  
 Hic medicos Cæsar vocat impius arte peritos,  
 Ut releuent tanto morbida membra malo.  
 Ast ubi non quisquam flagrantem tolleret æstum,  
 Sustulit is claros sœuus in arte viros.  
 Hos inter quidam fertur dixisse tyranno,  
 Instinctu sancti, talia verba, Dei:  
 Occupat ô mentis quæ te caligo furentem,  
 Error quisue ferox Induperator habet?  
 Non tollunt homines, vindex quæ numinis ira  
 Irrogat offensi, non peritura mala.  
 Te non humanus torquet, mihi credito, morbus,  
 Quem poterit medici tollere docta manus.  
 Egeris in seruos Christi, quam sœua memento,  
 Impius in sanctos quæ malefacta viros.  
 Hinc noscet morbi causam flagrantis, & vnde  
 Certa petenda tibi sit medicina mali.  
 Ipse licet tollar sœuo nunc ense peremptus,  
 Tamen à morbo non releuatus eris.

64. Ex

64. EXHORTATIO CONSTAN  
tini Magni primi Imperatoris Christiani  
ad Episcopos congregatos in Synodo  
Nicæna, rixantes de varijs inter se  
non necessarijs quæstionibus. Eu-  
feb.lib.10.cap.2. Item Tripar-  
titæ hist. lib.2.cap.2.

*Synecropacis cùm Constantinus amore  
Nicæna Synodum iunxerat vrbe sacram.  
Ad sanctos dixit vano certamine patres  
Rixantes Cæsartalia verba pius:  
Ipse sacerdotes statuit vos esse verendos,  
In cunctos vestrum iudicium quod Deus.  
Est etiam vobis in me data iusta potestas,  
Quos proprio Dominus nomine sæpe vocat.  
Et si igitur, patres, non vos homo iudicat ullus,  
Pœna quod non vobis est metuenda grauis:  
Iudicium ast Domini vos expectate tremendum,  
Censura cuius iurgia vestra date.  
Dogmata concordes fidei disquirite rectè,  
Absint à vobis iurgia tanta procul.  
,, Mutua donetis vobis delicta libenter,  
,, Ut donet vobis crima multa Deus.  
Sic fatus, rixas qui continuere libellos,  
Ilicò in extuctos coniçit ille focos.*

65, De

65. DE PHILOSOPHO QVO-  
dam & Dialectico disputante argutissi-  
mè contra fidem Christianam in Syno  
do Nicæna, quem simplex quidam  
& pius senex ad Christum subi-  
tò, potentia verbi diuini  
conuertit, cap. 3.

*Nicæna sapiens Synodo doctus q̄ sophista,  
Differuit contra dogmata vera Dei.  
Ad Christum vertit subito quem motus amore  
Diuino, simplex per pia verba senex.  
Te precor ô sapiens, dixit, per nomen Iēsu,  
Auribus attentis hæc mea verba cape.*

66. ORATIO SENIS AD  
philosophum.

**I**n nomine Iesu Christi, Philosophè audi  
quæ vera sunt. Deus vñus est qui fecit cœ-  
lum & terram, quiq̄ homini, quem de ter-  
ræ limo formauerat, spiritum dedit. Vniuer-  
sa quæ videntur & quæ non videntur, virtu-  
te verbi sui creauit, & spiritus sui sanctifica-  
tione firmauit. Hoc verbū & sapientia, quem  
nos filium dicimus, humanos miseratus erro-  
res ex virgine nascitur, & per passionē mor-  
tis à perpetua nos morte liberauit, ac resur-  
rectione æternam nobis cōtulit vitam, quem  
& ex-

& expectamus iudicem omnium, quæ gerimus, esse venturum.

- T. Vnus & eternus Deus est, qui cuncta creauit,  
 ,,, Et verbo seruat cuncta regit q̄ suo.  
 At q̄ eadem flatu diuini numinis idem  
     Continet, & clemens sanctificata souet.  
 Hic Deus est pater & verbum flatus q̄ sacratus,  
     Vnus hic est verus, nomina trina, Deus.  
 Verbum quod patris Gnatum nos dicimus, illud  
     Assumpsit carnem virgine matre Deus.  
 Aeterna moriens qui nos de morte redemit,  
     Et vita surgens gaudia latat tulit.  
 Errores nostros miseratus Christus, amore  
 ,,, Immerito nobis commoda tanta tulit.  
 ,,, Index post claro redditurus ab æthere iustus,  
     Cuilibet ex meritis præmia digna dabit.  
 ,,, Hæc ita dicta, senex referens ait, omnia credis  
     Certò hæc ex animo, docte Sophista, tuo?  
 Substitit hic mutus subito stupefactus, ab illis  
     Quæ retulit sanctus verba verenda senex.  
 Ad se post rediens, ait, ipse hæc omnia credo  
     Persuasus, narras quæ venerande senex.  
 Post Domino credens, sacram deductus in ædem,  
     Ad socios dixit talia verba suos.

67. VERBA PHILOSOPHI,  
 de energia verbi externi.

Audite

**A**Vdite ô eruditî viri: donec verbis me-  
cum gesta res est, verba verbis oppo-  
sui: & quæ dicebantur, dicendi arte  
subuerti: vbi verò pro verbis, virtus proce-  
fit ex ore dicentis, non potuerunt resistere  
verba virtuti, nec homo aduersari potuit  
Deo. Et ideo si quis vestrum potuit in his,  
quæ dicta sunt, sentire, quæ sensi, credat Chri-  
sto, & sequatur hunc senem, in quo locutus  
est Deus.

*Cur ego sic subito amplexus sum dogmata Christi,  
Hæc mihi erat docti causa verenda viri.*

*Aetum me verbis vbi contra est, verba regessi,  
Arteq; dicendi dicta repulsa tuli.*

*Ast vbi dicentus virius proceſſit ab ore,  
Virtuti decuit me tribuisse fidem.*

*Contra quis potuit mortalis dicere summo,  
Qui regit ex celso numine cuncta, Deo?*

*Dicta igitur vestrum si quis mel vera putabit,  
Exemplo in Christum credat & ipse meo.*

*Atq; senem mecum tanta hunc pietate sequatur,  
Qui Domini dixit verba verenda mibi.*

68. DE HORRENDO ET FOE-  
do interitu Arij hæretici, cui exoneranti  
aluum, in Synodo Constantinopolitana,  
intestina, vna cum stercoribus in cloa-  
cam defluxerunt. Cap. 12. & 13. Item  
Tripar. hist. lib. 3. cap. 10.

*Arius*

Anno Christi 385. Arius in Christum blasphemus multa locutus,  
 Pro meritis digna morte peremptus obit.  
 Pauperibus Christi primùm seruiuit in vrbe,  
 Nomine Alexandri quæ celebrata fuit.  
 Hic cœpit prauum Milet i dogma tueri,  
 Triste fuit q̄ ideo pulsus in exilium.  
 Sanctus vbi est Petrus defunctus Episcopus vrbis,  
 Dogmata qui Christi vera professus erat.  
 Successit Petro præsul blasphemus Achilles,  
 Arius est à quo ductus ab exilio.  
 Qui mox, ex viuis præsul cùm cessit Achilles,  
 Impius affectat præsulis inde locum.  
 Præsul Alexander pius est sed lectus in vrbe,  
 Dogmata qui semper vera professus erat.  
 Arius accensus vehementer dolore repulsa,  
 Præsulis oppugnat dogmata vera pīj.  
 Namq; coæternum Gnatum negat esse parenti  
 Aeterno, & verum denegat esse Deum.  
 Esse docet tempus, quo Christus cœperit, antè  
 Ex nihilo factus, secula cuncta, patri.  
 Arius hic primus sparsit blasphemus in orbe,  
 Hæc contra Gnatum dogmata prava Dei.  
 Hanc contra Synodum Nicena Cæsar in vrbe  
 Indicens, toto conuocat orbe pios.  
 Arius hac iterum synodo damnatur ab illis,  
 Consortes veræ qui pietatis erant.  
 Callidus hinc redditum scriptis à Cæsare sancto  
 Imperat, & socijs improbitate suis.

Hinc

Hinc Constantina synodus renouatur in vrbe,  
 Arius hic fœda morte scelestus obit.  
 Quo statuere die patres cognoscere dogma,  
 Quod Sathanas Stygio protulit ipse lacu,  
 Fundit Alexander præfus venerandus in vrbe,  
 Ad Dominum tota nocte dieq; preces.  
 Dogmatis autorem blasphemii vt tollat ab orbe,  
 Afferat & laudes nominis ipse sui.  
 Præfus exaudit Dominus pia vota preces q;  
 Autorem tetri dogmatis atq; necat.  
 Nam cùm manè petit synodum blasphemus, in ipsa  
 Ilia cœperunt fœda dolere via.  
 Cùm dolor augetur, comites rogat, vt sibi mon-  
 Qua saturi possit ponere ventris onus. (strent  
 Arius hic ventris cum stercore viscera fundit,  
 Arius infelix exta cacando perit.  
 Viscera vt effudit Iudas suspensus ab alto,  
 Qui Domini fuerat proditor ipse sui.  
 Sic pereant omnes, animas cum stercore flantes,  
 Qui tale in Christum spargere dogma solent.

69. PAPHNVTIVS MARTYR  
 ad Maximum Episcopum Hierosolymitanum sedentem in concilio Tyrino, con-  
 uocato contra Athanasium, quorum utri  
 que oculus effossus & poples succisus  
 fuit propter confessionem veræ  
 doctrinæ, de diuinitate filij  
 Dei. Cap. 17. F

Anno  
Christi  
345.

Cum synodum Tyria celebrat Constantius vrbe,  
Imperij Cæsar, dogmata falsa fouens:  
Maximus excelsa Solymorum præsul in vrbe  
Martyras & Christi maximus intererat.  
Huic oculum euellit dextrū, poplitemq; tyrannus  
Succidit, propter dogmata vera Dei.  
Hunc vbi conspexit sanctus Paphnutius, idem  
Qui Christum propter lumine cassus erat:  
Insilit in cœtum supplex, turbamq; malignam,  
Acclamans sancto talia verba seni:

70. VERBA PAPHNVTII  
ad Maximum.

**T**E Maxime, cum quo mihi vnum atque  
idem confessionis insigne est, cum quo  
mihi pariter mortale lumen effossum,  
clariorem diuini luminis conciliauit aspe-  
ctum. Te, inquam, non patiar sedere in conci-  
lio malignantium, & cum iniqua agentibus  
introire.

Anno  
Christi  
545.

Maxime, quem fidei iungunt insignia nostræ,  
Corpora quæ simili stigmate bina notant.  
Cui lumen mecum pariter mortale reuulsum est,  
Clarius aet Domini mens tua lumen habet.  
Non te concilio patiar residere malorum,  
Qui mala consilijs facta probare student.

Hæc

*Hæc dicens reproba ducit de sede malorum  
Eximum meritis & pietate virum.  
Edocet & technas, synodus quas improba sanctis  
Sub specie veri dogmatis instituat.*

71. DE CALVMNIIS ET FALSIS  
accusationibus intentatis S. Athanasio;  
vitiatè ab ipso per vim mulieris, quæ  
hoc ipsum, corrupta à maleuolis  
sancti viri, falso affirmauit,  
Eodem capite,

## Prima calumnia.

*Arguitur falso primùm de crimine stupri,  
Quo tamen haud castus vir magis alter erat,  
Improba quæ certum testetur fœmina crimen,  
Iudicij dicto sistitur ipsa die.  
Timothœum quendam prudens Athanasius orat,  
Illud ut obiectum diluat ipse scelus.  
Fœmina mendaci per vim se à præsule lingua  
Hospite compressam nocte silentे refert.  
Timotheus sancti respondet nomine iussus  
Præsulis, haud aliter ceu foret ipse reus.  
Quid garris mulier? num me fecisse scelestæ  
Vim tibi mendaci turpiter ore probas?  
Aggrauat hīc mulier, genus irritabile, diris  
Innocuum verbis criminibusq; virum.*

Hic, ait, est ausus proprijs mihi in ædibus hospes  
Corporis inuitæ commaculare decus.

Sic ait, & testem dominum se iudice coram,  
Adiurat verum dicere vera Deum.

Mendacem quoniam personæ hic arguit error,  
Concilium fœdus cepit habere pudor.

Nec tamen hinc cessant hostes incessere vitam  
Præfulus innocuam crimine saepe nouo.

ALTERA CALVMNIA SEV AC  
cusatio de abscissa manu cuidam Ar-  
senio, Eodem capite.

Hinc ausum iuueni quondam præscindere ferro  
Arsenio brachium turba maligna refert.

Et ne præstigijs oculos quis ludere credat,  
Ostendunt dextram membraq; trunca viri.

Hinc clamant, ausus cur sis abscindere dextram,  
Huic præter meritum, dic scelerate viro?

Hoc etiam præfus crimen factum esse docebat,  
Ceperit ut cunctos turpis, vt antè, pudor.

Arsenium, querit, num quis cognouerit, illum  
Aut noscat cuius trunca sit illa manus.

Arsenium, multi dicunt, nos nouimus illum,  
Et quibus haec nondum factio nota fuit.

Hic rogat ad causam liceat si iudicere præfus,  
Intrò quem cupiat consuluisse virum,  
Arsenius coram cunctis adducitur intrò  
Integer, vt multis cognitus antè suit.

Hic,

*Hic, ait, est iudex, faciem simul eleuat illi,  
 Arsenius verus notus, ut antè fuit.  
 Atq; leuat dextram manum, simul atq; sinistrā,  
 Ecce, ait, Arsenio est vtraq; salua manus.  
 Vnde habeat synodus nunc hanc, vos quærите dex-  
 Cuius præcisæ me facit esse reum. (tram,  
 Infusa his oculis nox quædam est atq; tenebræ,  
 Ut nemo quidnam cœptet agatq; sciatur.  
 Nang; vident coram se certò assistere saluum  
 Arsenium, cunctis qui bene notus erat.  
 Hic subitò clamor cunctorum attollitur ingens,  
 Artibus hic magicis ludit agitq; malis.  
 Non licet hunc ultrà nobis superesse nefandum,  
 Impius hic patrat qui mala tanta virum.  
 Atq; ruunt vñā rapientes præfulis omnes  
 Corpus vt inuadant dilacerentq; pium.  
 Sed synodi præses captum deduxit in ædes,  
 Ne necet innocuum turba maligna virum.  
 Atq; mones, quia non alia est nunc vlla salutis  
 Spes, fugiat celeri quo queat inde pede.*

**72. EXEMPLVM DIVINÆ PRAE-**  
 sentiæ & protectionis Athanasij, qui in  
 exilium pulsus & profugus à toto  
 imperio inuestigatus, à Deo  
 mirabiliter occultatus  
 & defensus est.  
 Cap.18.

*Pulsus in exilium præstans Athanasius urbe  
 A cunctis tota quæritur innocuus.  
 Præpositi quærunt prætores atq; tribuni,  
 Impius & miles quærit ubiq; virum.  
 Quæritur & toto præsul venerandus in orbe,  
 Ad mortem certam suppliciumq; graue.  
 Præmia, qui viuum caput & qui porret, habebat,  
 Tantus erat sanctum perdere velle furor.  
 Ast frustra toto præsul disquiritur orbe,  
 Qui tutus curæ est præsidioq; Dei.  
 Qui Domino toto confidit pectore, in omni  
 Est tutus contra mille pericla loco.*

**73. ALIVD DE EODEM, QUI**  
*requisitus à Iuliano apostata, comitem eius insequentem cæcitate percussum, fellit, saluusq; Alexandriam reuersus est, ubi in latebris egit, donec cessaret persecutio. Ca. 34.*

**Anno**  
 Christi  
 circiter  
 367.

*Iulia cui dederat nomen gens clara tyranno,  
 Hostis erat sœuus perpetuusq; Dei.  
 Præsul ab hoc sanctus sœuo est Athanasius hoste  
 Eiectus patrijs sedibus atq; focis.  
 Crimen erat mortis nullum, quod præsule aruspex  
 Viuo responsum redderet atq; magus.  
 Cum parat in sanctum ferro sœuire tyrannus,  
 Astitit huic populus flensq; dolensq; pius.  
 Quos*

*Quos sp̄e solatur lachrymantes s̄epe salutis  
Sanctorum yatum, talia verba sonans:*

**N**olite ô filioli perturbari, quia nubecula est, & citò transibit.

*Tanta quid ô vestras tenet hæc trepidatio mentes,  
Filioli, à vobis sit timor iste procul.*

*Iam nitidum regit atra breui nubecula solem,  
Quæ citò transibit sole rubente nouo.*

*Effugiens s̄eu gladios ignesq; tyranni  
Præsul, per Nilum nauigat imbriferum.*

*Quæ comes in sequitur celeri pede s̄euis ad vndas,  
Vt capiat sanctum perfodiat q; virum.*

*Præsul vbi à tergo comitem sibi adesse videbat,  
Hæc pius ad socios verba notanda dedit:*

**N**olite ô filij deterreri, eamus magis in occursum percussori nostro, vt sciat quām longè maior sit, qui nos defendit, quām qui persecuitur.

*Ne trepidate viri, firmo sed pectore mecum  
Hostis in occursum tendite quisq; feri.*

*Cæsar vt agnoscat majoris robore dextræ  
Quod Dominus cœli corpora nostra tegat.*

*Nauiculā ad ripam iubet hinc conuertere præsul,  
Hostis qua celebri s̄euis ab urbe venit.*

*Quos vbi conspexit venienteis, obuius hostis  
Qui nam sint, comitem dicere vera iubet.*

*Non etenim ad mortem quærat quos ipse cruentā,  
Credit in occursum velle venire sibi.  
Ast ubi cognouit qui sint, celer instat & vrget,  
Ut capiat claros tam pietate viros.  
Non tamen ante oculos vidit, quem perdere venit,  
Artibus elusus præstigijs q̄z nouis.  
Hinc præsul monitus patriam regressus in urbem,  
Præsidio Domini tutus ab hoste fuit.*

74. EX LIBRO II. IOVIANVS  
ad exercitum Iuliani Apostatae conta-  
minatum sacrilegijs, cùm ad insi-  
gnia imperij suscipienda vr-  
geretur, inquit:

**N**on possum vobis imperare, quia Chri-  
stianus sum. Cùm autem responde-  
rent se quoq; Christianos esse, volun-  
tati eorum acquiescens, imperij gubernatio-  
nem suscepit. Cap. i.

Anno  
Christi  
368.

*Cum daret imperij fasces exercitus altas,  
Sacrilego sanctus sic Iouianus ait:  
Non queo sacrilegis dominari Cæsar in orbe,  
Qui nuper Christo nomina sancta dedi.  
Cum clamant nomine quoq; se Christi esse professos,  
Imperij Cæsar sceptrum gerenda capit.  
Reddidit hic sanctus, quæ Cæsar ademerat ante,  
Nomine de claro dictus Iule tuo.*

Ethnica

*Ethnica conclusit quoq; Cæsar templo deorum,  
Eiectos patria restituit q; pios.*

*Mensibus hic septem tantum regnauit in orbe,  
Immodica, ut referunt, mortuus ingluwie.*

75. DE MACARIO ET CAETE-  
ris Eremitis, Ruffinus lib. 4.

**H**I ducebant exercitum non mortali-  
bus telis, sed religionis armatum exer-  
citum moriendo vincentem, & qui  
sanguinis sui profusione victor Christum  
consequeretur.

*Hæc de Macario retulit Ruffinus, eremum  
Atq; alijs sanctis, qui coluere viris.*

*Ducebant turmas Domini cœlestibus armis,*

*Instructas veri & religione Dei.*

*Mundanos vincens moriendo exercitus hostes,*

*Effuso Christi sanguine victor obit.*

76. DE MOSE EREMITA EPI-  
scopo Mauuiæ Sarracenorum, qui ordi-  
nari recusauit à Lucio Episcopo Ale-  
xandriæ Ariano, persecutore ve-  
rorum doctorum Ecclesiæ,  
& imperfectore piarum  
virginum.

Mauua Sarracæ gentis regina vetusſæ,  
Mosen doctorem postulat ipsa ſibi.  
Hic Arabum Moses cultor venerandus eremī,  
Præſtanti in ſignis vir pietate fuit.  
Mittit Alexandri quæ dicta eſt nomine Magni,  
Vrbis ad antiquæ mœnia clara virum:  
Ordinet hac Mosen, vt erat mos, præſul in vrbe,  
Lucius ingenio vir malus atq; ferox.  
Hæreticum, occidit multos, quia dogma professus,  
Præſtantes meritis & pietate viros.  
Hunc vbi conſpexit Moses, quæ fecerit antè  
Expendens, ſanctis talia verba refert:  
Præſulis hoc tanto licet haud ſim dignus honore,  
Non tamen hunc renuam, ſi dabit ipſe Deus.  
Aſt Dominum teſtor, verbo qui cuncta creauit,  
Quæ cœlum amplexu terraq; lata tenet:  
Non mihi pollutas ſanctorum ſanguine dextras  
Lucius hic atrox impositurus erit.  
Lucius, ô Moses, dixit, quid ſpernis amicum,  
Cūm tibi ſit nondum ſat mea nota fides?  
Moses hunc contra grauis eſt hac verba locutus,  
Fraudibus haud motus blanditijſq; viri:  
Eſt mihi nota fides pridem tua credito, Luci,  
His me ne tantis aggrediare dolis.  
Quæ tua ſit pietas, Luci, teſtatur abundè  
Sanctorum toto fuſus in orbe cruor.  
Presbyteri ex templis ſunt multi & Epifcopi ab  
Eiecti in ſylvas exiliumq; graue. (vrbe  
Sunt

Sunt alij obiecti pardis sauis q̄, leānis,  
Ignibus hi varijs disperiēre modis.  
Hæc tua facta vident omnes crudelia, Luci,  
Nulla potest oculis certior esse fides.  
Non equidē hunc Domino reuera credere Christo,  
Qui dedit hæc sanctis impia damnaputo.  
Lucius his dictis probro maiore notatus,  
Subticet ad tanti verba verenda viri,  
Præsulibus Moses hinc mystes factus ab illis,  
Sæuus quos præsul trusit in exilium.  
Hinc gentem Aethiopum magna virtute docebat  
In Christum Moses cum pietate fidem.

77. DICTVM EVSEBII DE EX-  
perimento seu probatione veræ fidei  
in veteri Ecclesia, Eodem cap.

**N**on in verbis vniuersitatis fides, sed in  
exilijs & carceribus probata est. Quia  
non honori erat catholicum esse, sed  
poenæ.

Non verbis veterum sanctorum est cognita, verū  
Exilijs, flagris, carceribusq; fides. 22  
Non siquidem pietas magnos præstabat honores,  
Sed funes, ignes, verbera, tela, necem. 22

78. Re-

78. RESPONSVM S. BASILII  
 Orthodoxi Episcopi Cæsareæ in Cappa-  
 docia, ad præfectum Valentis comminan-  
 tem ipsi interitum in exilio, in quod  
 à Valente Ariano coniectus fue-  
 rat. Anno Christi 367.

Capite 9.

*Basilius saui flagrante Valentis ab ira  
 Pulsus erat sanctus præsul in exilium,  
 Hunc ubi crudeli perterret cæde tyrannus,  
 Intrepidus semper talia verba dedit:*

**V**Tinam aliquid mihi esset digni mune-  
 ris, quod offerrem huic, qui maturius  
 Basiliū de nodo follis huius absolueret.

*Munere quo digno donem, qui soluat ab isto  
 Me follis nodo non trepidante manu.*

**C**um daret huic noctem, secum vt deliberet, vnam,  
*Constanti rursus pectore præsul ait:*

**E**Go crastino die idem ero, qui nunc, Tu  
 te vtinam ne mutares.

*Qui modò sum præsul constans, ero crastinus idem,  
 Tu talis semper sis maneas q̄ velim.*

79. DE GREGORIO ET  
 Basilio.

*Qui*

**Q**ui Athenis erudit per annos tredecim in monasterijs, omnibus Græcorum secularium libris remotis, solis diuinæ scripturæ voluminibus operam dabant, eorumq; intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis & autoritate sequebantur, quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat, Ibidem.

*Doctrina clarus, magna & pietate verendus*

*Gregorius quondam Basilius q; fuit.*

*Annis hi multis diuina volumina Athenis*

*Edocti magna sedulitate legunt.*

*Non propria enarrant ratione volumina sacra,*

*Nil ratio, Domino quid placet, ipsa docet.*

*Sed veterū ex scriptis sua quos constabat ab ipsis*

*Dogmata Apostolicis perdidicisse viris.*

80. DE GREGORIO NAZIAN-  
zeno Episcopo, qui multa verbis, plu-  
ra tamen exemplis docuit. Ca-  
pite eodem.

**N**emo vidi ab eo aliquid discipulis im-  
perari, quod non prius ipse fecisset.

*Discipulos iussit nil quod non fecerit ipse,*

*Gregorius magna vir pietate suos.*

*Gregorio hoc gaudente venerando præsule ciues*

*Bizanti, quoniam quæ docet illa facit.*

81. Re-

81. RESPONSI O BENEVOLI  
 præfecti Scrinij apud Valentimum iuniorum, cùm Iustina mater Cæsaris, verè altera Iezabela, præfecto excelsiores promitteret honores, ut decretum, quod à filio contra D. Ambrosium, & alios dissentientes ab Arianis impenetraverat, publicè recitaret.

Cap. 15. & 16,

*Impetrat edictum gnati Iustina ferocius,  
 Ambrosium contra Christicolasq[ue] pios.  
 Quod iubet elatis populo recitare loqueli.  
 Præfectum, clarus qui pietate fuit.  
 Impia quod iussit mulier præstare negabat  
 Præfectus, charus vir pietate Deo.  
 Huic facto mulier magnos promittit honores,  
 Constantes etiam flectere dona solent.  
 Anteferens mundi pietatem præses honori,  
 Reddidit hæc Domina verba notanda suæ:*

**Q** Vid mihi pro impietatis mercede, altiorem promittis gradū, hunc ipsum quem habeo, tollite: tantum mihi fidei conscientia duret illæsa, & statim ante pedes impia præcipientis cingulum abiecit.

*Quid mihi quæso gradus celsi promittis honoris:  
 Hunc etiam si vis impia tolle gradum.*

*Gaudia*

**Gaudia tollantur mundi, tollantur honores,**  
**Sit fidei tantum mens mihi salua sat est.**  
**Hæc ubi dixisset, zonam simul abiicit ante**  
**Impia mandantis hæc sibi facta pedes.**

**82. ORATIO THEODOSII IMPERATORIS VERÈ CHRISTIANI & CATHOLICI PUGNANTIS CONTRA EUGENIUM, & ARBOGASTUM HOMINES BARBAROS & GENTILES IN FAUCIBUS ALPIUM. 33.**

Elect⁹ est  
Theodo-  
sius in Ce-  
sarē, An-  
no Chri-  
sti circi-  
ter 384.

*Laude Theodosius magnæ virtutis auita,  
Eximia & præstans dux pietate fuit.  
Quem contra bellum de religione cruentum;  
Gentili saevis mouerat Eugenius.  
Acriter illatis signis pugnatur vtrinq;  
Pugna diu dubijs feruida Martis erat.  
Vertit ut ad gentes placidum victoria vultum,  
Ad Dominum Cæsar talia vota facit:*

**83. ORATIO THEODOSII AD DEUM, CÙM PRÆLIARETUR CONTRA EUGENIUM & ARBOGASTUM.**

**T**V Deus omnipotens nosti, quia in nomine Iesu filij tui vltionis iusta causa, (vt puto) prælia ista suscepisti: si fecus, in me

me iudica. Si verò cum causa probabili, & in  
te confisus huc veni, porrige dextram tuis, ne

Psal. 79. fortè dicant gentes: Vbi est Deus eorum?

*Scis Deus omnipotens, cari quodd nomine Gnati*

*Hæc ego suscepit prælia iusta tui.*

*Huc minimè proprijs descendit viribus ausus,*

*Ast ope promissa præsidioq; tuo.*

„ *Ergo tuam nobis, pater optime, porrige dextram,*

„ *Netua gentili turba furore cadat.*

*Cur aliquis dicat nobis de gente prophana,*

*Quis Deus est horum? qui iuuet, ecquis erit?*

*Hostibus his fiat tua nota potentia sauis,*

*Atq; tuam discant pertimuisse manum.*

*Vertice stans montis palmas ad syderat tendit,*

*Ad Dominū hæc fundens vota precesq; Deum.*

*Nec fuit hæc ardens tum vana precatio, namq;*

*Agmina sunt Domini vindice fusa manu.*

*Nang; oritur subito ventus, qui turbidus aufert*

*Spicula, in aduersi militis ora vehens.*

*Eugenius captus manibus post terga reuinctus,*

*Occubuit supplex Cæsar is ante pedes.*

*At sibi consicxit mortem Arbogastus atrocem,*

*Victoris faciem ne cadat ante sui.*

#### 84. EX LIBRO TRIPARTITAE

historiæ. Imago boni & pij principis in D.

Theodosio, quem scribit Zozomenus.

per

per diem exercuisse corpus ad arma seu  
bellum, iura dedisse subditis, audiuisse  
causas, & lites diremisse inter disce-  
ptantes, per noctem incubuisse  
libris sacris, & vacasse orati-  
onibus. Libro i. Tripar.  
hist. Cap. i.

*Ipse Theodosius toto celeberrimus orbe,  
Qui fuit illustris Regis imago boni:  
Iura dabant populo, corpusq; parabat ad arma,  
Et regni statuit commoda quæq; die.  
Tempore nocturno diuina volumina legit,  
Ad verum fundens vota precesq; Deum.*

85. DE CONSTANTINO TY-  
ranno, Constantini Pij patre, qui nullum  
apostatam ex Christianis in collo-  
quium & consilium sibi adhibu-  
it, sed constantes in fide.

Capit. 7.

*Non desertores fidei Constantius vlos  
Colloquio adiunxit consilijsq; suis.  
Principi, ait, nunquam terreno est ille fidelis,  
Audet qui Dominum deseruisse Deum.*

86. DE SPIRIDIONE TREME-  
thuntis Cypriorum Episcopo comeden-

G

te carnes porcinas cum hospite peregrino, tempore ieunij quadragesimalis, quo vtrunq; comprobat, & quadragesimam, aliaq; certa ieunia in Ecclesia veteri visitata & recepta fuisse, & pro necessitate vesci licere quibuslibet, quo- uis tempore, fidelibus. Lib.

1. Capit. 10.

*Spiridion Cypri venerandus Episcopus urbis,*

*Nicenæ synodi gloria magna fuit.*

*Venit ad hunc quidam peregrinus hospes ab oris,*

*Defessus longa difficultiq; via:*

*Tempore consueto cùm ieunaret & ipse,*

*Exemplo præsul turbaq; sancta pio.*

*Sobrium Christi viuens Ecclesia totos*

*Carnibus abstinuit pane, ciboq; dies.*

*Sed tamen æqua fuit libertas tempore & illo,*

*Vescendi quoquis carne ciboq; die.*

*Postulat hoc rerum tenuis cùm copia & usus,*

*Et victus sanctis copia larga deest:*

*Spiridion docuit præsul quod in hospite sanctus,*

*Exemplo comedens quælibet ipse suo:*

*Hospitis ut corpus defessum filia pascat,*

*Abluat atq; pedes officiosa iubet.*

*Filia respondet sancto verecunda parenti,*

*Esa qua pascat nil superesse sibi.*

*Præsul*

Præful ait, si quæ tibi restat copia carnis,  
 Protinus hanc nobis igne coquente para.  
 Carnibus his coctis secum rogat hospes ut vna  
 Vescatur, Dominus quas sibi cung<sub>3</sub> dedit.  
 Non ego, ait, vetitis vescor nunc carnibus hospes,  
 Christo qui Domino nomina sancta dedi.  
 Imò, ait, es Christi quia cultor, vescere quo quis,      Titum. 4.  
 Sunt etenim mundis omnia munda pījs.

87. DICTVM MAGNI EVSTA-  
 chij Episcopi Antiocheni. Cap. 6.

**N**on credimus, homines sine Deo posse  
 præualere contra sacrā adorandam q̄  
 legem, Euangelicam q̄ doctrinam.  
 Nam licet ad modicum roborentur, rursus  
 fortiter tamen & magnificè deuincuntur.

Nil homines poterunt contra veneranda valere  
 Dogmata, quæ Christus tradidit ipse Deus.  
 Nam licet ad tempus valido stent robore firmi,  
 Fortiter hinc victi magnifice q̄ cadunt.

88. PAPHNVTIVS AD EPISCO-  
 pos in Concilio Nicæno prohibitu-  
 ros sacerdotibus coniugium.  
 Capit. 14.

**S**vrgens in medio Paphnutius confessor  
 contradixit, honorabiles confessus nu-

G 2

ptias, & castitatem esse dicens, Concubitum  
cum propria coniuge, suasitque concilio, ne ta-  
lem proponerent legem grauem, afferens esse  
causam, quæ aut ipsis aut eorum iugalibus  
occasio fornicationis existeret. Et hæc qui-  
dem Paphnutius, licet nuptiarum esset inex-  
pertus, synodusque laudauit sententiam eius,  
& nihil ex hac sanciuit parte, sed hoc in vni-  
uscuiusque voluntate, non necessitate, reliquit.

Nicenì patres tædas prohibere iugales  
Tentarunt mystis presbyterisque viris.

Quos contra Christi martyrum Paphnutius inquit,  
Expers coniugij quamlibet ipse foret:

Quid vos presbyteris tædas prohibere iugales  
Tentatis, sanctum coniugijque thorum?

Cōiuge cum propria licitum est cōcumbere cuius,  
Quod statuit Dominus non scelus esse potest.

Coniugibus vestris ne lex vobisque videte  
Causa sit illiciti concubitusque vagi.

Hæc ubi dixisset, liber, velut antè, relictus,  
Presbyteris castus legitimusque thorus.

82. QVERELA VSTA ZADIS  
Eunuchi & nutritoris Saporis Regis  
Persarum, quod in eius gratiam  
solem adorauit, reprehensus  
ob id à Simeone Episco-  
po. Lib. 3. cap. 2.

Saporis

Saporis excelsa Vſta z adis Regis in aula  
 Eunuchus magna vir pietate fuit.  
 Hunc Simeon præſul docuit reuerendus amare  
 Aeterni verbum noticiam q̄z Dei.  
 Saporis aſt ſuas ſeui pœniſ q̄z Tyranni,  
 Deseruit veri dogmata vera Dei.  
 Increpat hunc Simeon magna pietate verendus,  
 Ethnica quod rursus numina, vt antè, colat.  
 Pòſt vbi captiuus Simeon abducitur, ipſe  
 Veste ſedens tristiſtens q̄z dolens q̄z gemit.  
 Sapor cùm querit, quæ nam fit cauſa doloris,  
 Hac regi mæſtus verba dolenda refert.

**O** Rex, nihil in huius ſeculi domo infor-  
 tunij paſſus ſum, vtinam pro hiſ, quæ  
 mihi nunc euenerunt, in vniuersas ca-  
 lamitates alias incidiſſem. Lugeo nanq; cur  
 viuo, qui dudum mori debueram? video fo-  
 lem, quem tibi parere volens, non voto meæ  
 voluntatis adoraui. Quapropter pro vtroq;  
 me mori iuſtiſſimum eſt: Quia & proditor  
 ſum Christi, & te quoq; decepi.

**N**on laſere meam Rex infortunia vitam,  
 Hac ego quo toto tempore viuo domo.  
**O** ego protantis quas hac ferō cladibus hora,  
 Feciſſem vita maxima damna meæ.  
**A**h video ſolem, tua quem mandata ſecutus,  
 Pro vero colui numen inane Deo.

*Dignus eram sœua duplice de nomine morte,  
Crimine quod læsi teq; Deum q; graui.  
Namq; pius Christum fueram quem ritè professus,  
Deserui nuper numina vestra colens,  
Te quoq; decipio, Rex nunc quem deserо, Sapor,  
Eunuchus fatur talia verba pius.  
At Rex crudelis maiore concitus ira,  
Obtruncat clarum tam pietate virum.*

**90. SIMEONIS ARCHIEPISCOPI Seleucæ & Ctesiphontis, ciuitatū Persidis, ad centum martyras, quos uno tempore Sapor Tyrannus Persicus interfecit, Exhortatio.**  
Eodem cap.

*Sanguine ceu sœuus gustato Erymanthius vrsus,  
Sæuior ad prædam fit q; redit q; nouam.  
Eunuchi Sapor sœua sic cæde recenti  
Martyras in Christi sæuior ipse furit.  
Eunuchum quondam sœuus qui sustulit vnum,  
Iam laniat centum sæuior Vrsa pios.  
Quos Simeon cœli vita est melioris in aula  
Spe consolatus mortis & ipse reus.*

**EXHORTATIO AD MARTYRAS centum Simeonis, cum quibus & ipse pro nomine Christi interfectus est,**

Simeon

**S**imeon assistens confortabat vniuersos,  
& de resurrectione & pietate loquebatur,  
atq; de sacris scripturis, adhibens fidem,  
dicebat: Vitam quidem veram esse sic mori,  
mortem vero manifestam negare Deum, ad-  
iiciens, quia post paululum, etiam nullo peri-  
mente, sponte mors accedit. Hic est enim om-  
nibus natis finis ineuitabilis. Post hæc autem  
perpetuitas non omnibus similiter accidet,  
sed velut ex quodam pondere, omnem ratio-  
nem reddent homines huius vitæ, & eorum,  
quaꝝ bene gesserunt retributionem, & poenias  
malorum sine dubitatione recipient. Maius  
autem inter omnia bona nihil est, ac beatius,  
quam eligere mori pro Deo.

Fortiter o morti fratres occumbite Christi

Nomine, quam statuit vos tolerare Deus.

Et sic vita mori fratres verissima vobis,

Mors est æternum dira negare Deum. 3.2

Quid sancta fugitis vos hac occumbere morte,

Hæc perimente tamen nemine vita cadit.

Omnibus est natis mors pallida finis in orbe,

Omnibus infestas injicit illa manus.

Mors est aqua quidem, sed non post funera vitæ, 3.3

Sunt eadem cunctis fata futura viris.

Nam velut appenso rationem pondere quisq;

Factorum reddet post sua fata Deo.

Præmia factorum reddentur gaudia iustis,

Iniusti poenas quas meruere luent.

, Non opus est maius cultusq; beator vllus,  
 , Nomine quam mortem sustinuisse Dei.  
 His dictis, magno firmato robore sancti  
 Fortiter in Domino flagra necemq; ferunt.

91. DICTVM PVSITII PRINCI-  
 pis inter artifices regis, ad Ananiam se-  
 nem trementem, cum duceretur ad mor-  
 tem, cui postea Pusitio propter liberam  
 confessionem Christi & exhortatio-  
 nem ad martyras, per perforatam  
 ceruicem, lingua fracta & ex-  
 erta est. Cap. eodem.

*Artifices inter praestantes Saporis aulae,  
 Pusitus clarus vir pietate fuit.  
 Est hic Ananiam solari talibus orsus,  
 Cum metuit mortis funera sua senex:*

*Paululū o senex claude oculos, & secur' esto,  
 Mox enim Christi videbis aspectum.*

*Quid trepidas adeò? mentem cur occupat ista  
 Formido, ob sancta vulnera pauca necis?  
 Omnem pone metū, atq; oculos occlude parumper,  
 Oraq; mox cernes Christi adamata tui.*

*Pusitus capitur, fuerat quod Martyras ausus  
 Hortari. & sese dicere Christicolam.*

*Pòst (genus horrendum mortis) ceruice forata,  
 Pusitio est sancto lingua resecta viro.*

92. Ex

92. EX LIBRO IIII. DE LEON-  
tio Episcopo Antiochienſi, qui quoties  
audiret Ecclesiarum diſſenſiones in  
doctrina, tangens caput ſuum  
iam canum, dixiſſe fertur,

**H**Ac niue ſoluta lutum cogetur immen-  
ſum: ſignificans ex diſcordia docenti-  
um exorituram in populo licentiam,  
& infinitas Imperiorum diſtractiones. Ca. 35.

*Antiochi doctoꝝ præſulg̃ Leontius vrbis,  
Eximia quondam vir pietatis erat.  
Audijt hic vbi doctoꝝ certamina, dixit,  
Tangens, hæc, canum, verba notanda, caput:  
Hæc vbi cana fluet nix alto ē monte ſoluta,  
Cogentur craſi tetra fluenta luti.  
Indicat hoc præſul dicto, quod tetra ſequentur  
Doctoꝝ ex pugna, poſt ſua fata, mala.  
Sic ſua prædixit sanctus poſt fata Lutherus,  
Quæ patimur varijs nunc mala multa modis.*

93. C O L L O Q V I V M I N T E R  
Constantium Imperatorem & Liberi-  
um Episcopum Romanæ Eccleſiæ, cui  
mandauit Imperator ut excommunica-  
tioni S. Athanasij, quod Episcopus  
conſtanter recuſauit, ſubſcri-  
beret. lib. 5. cap. 7.

**M**oneo vt communicationem scele-  
stissimi Athanasij & ineffabili super-  
bia detenti abnegare ne differas: Ne  
tibi sit socius posthac Athanasius, sed tanta  
damnes impietate virum.

*Ne tibi sit socius posthac Athanasius vna,  
Sed tanta damnes impietate virum.*

LIBERIVS EPISCOPVS CA-  
tholicus.

**O** Imperator, iudicia Ecclesiæ decet cum  
maxima proferre iustitia. Quare iube  
vt coram fistatur Athanasius, & in præ-  
sentem, post examinationem, digna profera-  
tur sententia. Non enim possibile est virum  
condemnare, de quo nihil examinatum est.

*O Rex esse decet quæ fert Ecclesia iusta  
Iudicia in reprobos innocuos q̄z viros.  
Ergo iube coram præsul fistatur in vrbe,  
Vt causam præsens hic agat ipse suam.  
Non decet ô Cæsar quenquam damnare repente,  
Cuius non fuerit cognita causa prius.*

CONSTANTIVS.

**Q** Vota pars es totius orbis? quoniam tu  
solus hominem vendicas nefandis-  
simum, & orbis terrarum pacem Ec-  
clesiæq; dissoluis?

Ta

*Tu quota pars restans totius solus es orbis,  
Defendis nocui qui mala facta viri?  
Quid pacem Latij dissoluis pestifer orbis,  
Cætus disturbas quid malesane pios?*

## LIBERIVS,

**N**on eò, quòd ego sum solus, fidei causa  
minuitur. Nam & antiquitus tres soli  
reperti sunt, resistétes præcepto Regis.

*Noñ quia solus ego, sancti pauciq; supersunt,  
Causa cadit fidei perdita vera Dei.  
Sic quondam Syriae seu parere Tyranno  
Detrectant terni pro pietate viri.  
Non ego dissoluo regnum pacemq; quietam,  
Sed qui crudeles dogmata falsa docent.*

Dani. 3.

## CONSTANTIVS.

**N**Vlla mihi victoria est, neq; contra Ma-  
xentium, neq; contra Syluanum, nisi  
illum scelestum Athanasium ab Eccle-  
siasticis rebus expulero.

*Nil mihi Maxentum bellis succedit in ullis,  
Syluanum & contra, quæ gero longa, trucem:  
Hic nisi sit motus sacris Athanasius exul,  
Quo nihil hoc viuit peius in orbe viro.*

## LIBERIVS.

Noli

**N**Oli per Episcopostuas vindicare ini-  
micitias, Manus enim Ecclesiasticorū  
ad sacrificandum vacare debent.

*Hostes vlcisci Cæsar ne cœperis vnquam  
Sanctorum manibus præsidioq; patrum.  
Martia non tractent sacrorum bella ministri,  
Doctrinae, & sanctis cultibus vsg; vacent.*

### CONSTANTIVS.

*Volo ut subscribens Romam reuertaris.*

*Non nisi decreto synodi subscribis, ad urbem  
Ausoniā præsul saluus abire potes.*

### LIBERIVS.

**L**Omæ iam dudum fratribus valedi-  
xi. Maiores enim sunt Ecclesiasticæ san-  
ctiones, quām Romanæ habitatio ci-  
uitatis,

*Non equidem Romam cupio nunc Cæsar adire,  
Namq; abiens dixi fratribus inde vale.  
Nec mibi Romanæ tanti est habitatio sedis,  
Sanctorum quanti sanctio sacra patrum.*

### CONSTANTIVS.

**E**Rgo trium spacium dierum ad delib-  
randum habes, an velis subscribens Ro-  
mam

mam reuerti, an cogitare, in quem velis de-  
portari locum.

Ergo tuē ut statuas quæ sit sententia mentis,  
Hos tibi tres addo, tempora certa, dies.

Afferere an mālis synodum, Romamq; reuerti,  
An, quò porteris, mox vocitare locum.

## LIBERIVS.

**S**Pacium trium dierum rationem nequa-  
quam mutare potest. Quapropter ed, quò  
voles, me mitte.

Non tribus immotam mentem mutabo diebus,  
Ad quēm me statuis mittere, mitte locum.

Nil vbi mutauit triduum, pōst mittit in urbem  
Berrhœam clarum tam pietate virum.

Quingentos vbi dat solidos Eunuchus eunti,  
Quos repulit præsul, talia verba loquens:

Quid mihi sanctorum toto vastator in orbe,  
Hos offers nummos, impius ipse, tuos?

Militibus Domini seruato hos, aut dato sanctis  
Præsulibus nummos, munera grata, tuis.

94. SOPHRONIVS POMPEIO-  
polis Paphlagoniæ Episcopus ad re-  
citationem, & expositionem  
Symboli Asacij hæ-  
retici,

Si

**S**i per singulos dies propriam edere licuebit fidem, veritatis integritas non manebit.

*Si quoties libeat propriam licet edere formam  
Doctrinæ, subita pro leuitate nouam:  
Integra quā tandem poterunt oracula Christi  
Cætibus in sanctis vera manere diu?*

95. DICTVM SYLVIANI ET ALIORUM EPISCOPORUM AD CONSTANTINUM IMPERATOREM ARIANUM MITANTEM IPSIS EXILIO & MORTEM. Cap. 42.

**P**otestatem habes puniendi, non tamen nos patrum statuta destituimus.

*A Domino Cæsar summo tibi summa potestas  
Est data pœnarum supplicijq; Deo:  
Nos tamen haud pœnis vñquam violabimus illa,  
Noſtri quæ recte constituere patres.*

96. MELETIVS EPISCOPVS  
Catholicus, rogatus, vt breuem doctrinæ de Trinitate imaginem coram Constantio proponeret, tres ostendit digitos, deinde duos colligens, & vnum tenuens, dixit: Cap. 47.

Tres

**T**res sunt qui intelliguntur, sed tantum  
de uno disputamus.

*Tres digitos tollit primū Meletius, atq;  
Sublato medio deprimit inde duos.*

*Hac præsul docuit sanctum sub imagine trinum  
Atq; vnum, magna pietate, Deum.*

*Sunt tria quæ apparent, inquit percepta, sed vnum  
Quæritur à doctis differiturq; viris.*

97. MARES EPISCOPVS CHAL  
cidoniensis ad Julianum Apostatam ex-  
probrantem sancto viro cæcitatem, cum  
eum sacrificantem Constantinopoli in  
facello Fortunæ ἄθεον & apostatam vo-  
casset, & Julianus etiam ipsum Deum  
laceraret, Christum, pro suo  
more Galilæum appell-  
lans. Cap. 6.

*Vrbs antiqua iacet veteris de nomine Byzæ,  
Quæ gemini clarent ostia vasta maris.*

*Nomine in hac Cæsar vocatus apostata Iuli,  
Ambiguae coluit numen inane Deæ.*

*Ergo ἄθεον Mares dicebat Episcopus illum,  
Quod daret idolis impia sacra Dijs.*

*Gatus erat Mares factus venerandus ob annos,  
Alterius rexit quem manus atq; pedes.*

*Expro-*

*Exprobrat huic Cæsar Mari, quod lumine cassus,  
Erret, & in Christum verba nefanda facit:  
Reddere si posset vester Galilæus ocellos,  
Te regeret tremulum, non aliena manus.*

## MARES.

**E**go verò de meo pro cæcitate gratias ago. Quia ideo factum est, ne videam te pietate nudatum.

*Ast, ait, ex toto, Mares, ago pectore grates  
Christo, quod captus lumine viuo senex.  
Namq; ideo cassum me fecit lumine Christus,  
Ne videam nudum te pietate Ducem.*

98. DICTVM EVAGRII DE TRINITATE: Diuinitas non est definienda. Omnes enim aliæ propositiones habent genus, quod prædicetur, aut speciem, aut differentiam, aut proprium, aut accidens, aut ex horum connexione propositionem. Sed nihil in Trinitate horum, quæ dicta sunt, comprehendendi poterit.

Igitur quod ineffabile est, ratione silentij adoretur.

Capit. 21.

*Doctrina Euagrius magna & pietate verendus,  
De summo retulit talia verba Deo:*

*Non*

*Non diuina potest certis essentia verbis  
Finiri, excedens omnia verba Deus.*

*Non genus aut speciem, propriū, aut oratio multis  
Communis, summo conuenit vlla Deo.*

*Ergo decet tacitum veneremur, quod nequit ullis  
Efferri verbis, aut ratione capi.*

99. ATHANASIVS DE SVA  
fuga.

**H**ic est hominum terminus, ad perfe-  
ctionem ducens, ut quod Deus iuber,  
hoc faciant.

*Hæc sanctus dixit de fine Athanasius olim  
Vitæ perfecto, verba notanda, pīs:*

*Terminus ad veræ qui dicit gaudia vitæ,  
Est facere hoc homini quod iubet ipse Deus.*

100. QVERELA DVORVM MI-  
litum Christianorum, de Iuliano Aposto-  
ta, sacrificante idolis gentium, ex dicto  
Danielis: Tradidisti nos Regi iniquo,  
qui recessit à te ultra omnes gen-  
tes, quæ sunt in terra.

Capit.34.

*Iulia cui nomen fecit gens clara Tyranno,  
Hæc duo Christicola verba tulere pī.*

H

*Tradidit hei Dominus regi nos ecce nefando,  
Numina pro vero qui colit atra Deo.*

*Increpat hos Cæsar seu a cum voce Tyrannus,  
Ardenti hæc regerunt verba profecta fide:*

**O** Princeps laudandis legibus hactenus seruantes, quæ Constantinus, & eius filij posuerunt: ingemiscimus nunc abominatione omnia videntes esse completa, & sacrificijs nephandis cibos potusq; violari. Hæc & domi defleuimus, te præsente nihilominus eiulamus, Hoc enim in tuo nobis displicet imperio.

*Viximus ô princeps laudatis hactenus omnes  
Legibus in veri cognitione Dei.*

*Legibus, excelsa quas Constantinus in vrbe  
Christicolis, regum clara propago, tulit.*

*Nunc meritò tristilugemus corde gementes,  
Fictitijs fieri sacra nephanda dijs.*

*Aedibus in nostris crebrò te fleuimus antè,  
Hæc fieri in regno facta nephanda tuo.*

101. RESPONSVUM IVLIANI A-  
postatae, cùm scripta Apollinaris Syri  
doctissima, quibus veritatem con-  
tra Ethnicos propugnabat, le-  
gisset: Legi, cognoui, &  
reprehendi.

Patri-

*Patribus hæc scripsit crudelis Apostata sanctis,  
Eludens missi dogmata vera libri:  
Legi, cognoui, cognoscens falsa reprendi,  
Misisti nuper quæ mihi scripta Syri.*

## RESPONSVM EPISCOPORVM:

*Etsi legisti, non tamen cognouisti: si  
enim cognouisses, nequaquam  
reprehendisses. Cap.37.*

*Talia cui patres citò respondere, notantes,  
Impius hic noscat quām sacra scripta nihil.  
Legisti tantum, non intellecta reprendis,  
Non reprensurus, si tibi nota forent.*

102. DE EVCEBOLO SOPHI-  
sta Constantinopolitano, qui ad Impera-  
torū se ingenia accommodans, sub Con-  
stantio simulabat se Christianum,  
sub Iuliano Ethnicum, & ipso sub  
lato, rursus Christi culto-  
rem. Cap.38.

*Cæsar is ad mores domini se contulit omnes  
Eucebolus, mundi gaudia sola petens.  
Cæsar erat Christi cultor, fit cultor & ipse,  
Dæmonis est cultor, dæmona & ipse colit.  
Eucebolus veluti Proteus mutatur in omnes  
Fortunæ species, pro ratione leuis.*

Eucebolos cernunt tales quoq<sub>z</sub> tempora nostra,  
Qui sacra spe luci qualiacunq<sub>z</sub> colunt.

Si dominus Christi sequitur pia dogmata, & ipsi  
Cum domino Christi dogmata vera colunt.

Si domini contrà damnant pia dogmata Christi,  
Sunt dominis similes impietate suis.

103. IVLIANVS APOSTATA AD  
Christianos, cùm de immodica exactio-  
ne pecuniarum & alijs iniurijs Eth-  
nicorum, apud ipsum conque-  
rerentur, illudens dixit:

**V**estrum est ut patienter mala sustinea-  
tis. Hoc est enim præceptū vestri Dei,  
Matth. 5.

Arma parat contra cùm sœuus Apostata Parthos,  
Christicolis multam dixit in orbe grauem.  
Exigit hīc dictum plus vltra turba maligna,  
Immodicis populum censibus atq<sub>z</sub> grauat.  
Christicolæ quoties coram sua damna queruntur  
Cæsare, sic ludens scommata vana dedit:  
Hæc mala vos animo patienti ferre decebit,  
Sunt etenim hæc vestri iussa verenda Dei.  
Pauperibus cœli debentur regna beata,  
Dicit facimus vobis cœlica regna Deus.

104. AN-

104. ANTIOCHENORVM IN  
Iulianum dictum facetum, de eius pro-  
missa barba, cùm illis omnium rerum dif-  
ficultatem in peius correxisset, dini-  
nuens nimium rerum venalium pre-  
cium, vnde discedentibus mer-  
catoribus, ciuitas rebus ad vi-  
tam necessarijs paulatim  
destitui cœpit. Ca-  
pite 40.

**T**ondeatur, vt ad funes eius proficiat  
barba.

*Antiochenæ vrbi crudelis apostata, rerum  
Quam decuit, precium vilius esse iubet.  
Post fugit iratus mercator & institor omnis,  
Omnibus hinc dolet vrbs indiga facta bonis.  
De barba immanis prolixa scomma tyranni  
Exoritur meritò, debita fata canens.  
De barba illius tondendo nouacula tollat,  
Quod iuuet ad funem, proficiat q̄z viro.*

105. ALIVD SCOMMA, SEV DI-  
ETERIUM FACETUM VULGI IN IULIANUM, DE  
TAURO, CUIUS SIGNUM IN NUMISMATE, QUA  
TAURUM SÆPE DIJS IMMOLABAT, INSCUL-  
PSIT. IDEO VULGUS DICERE COEPIT: HIC  
TAURUS MUNDUM EUERTIT.

*Aris sacrificat taurum quia s̄a pe Tyrannus,  
Insculpsit nummis taurica signa suis.  
Hinc vulgi talis de tauro fabula cœpit:  
Taurus hic euertit qui quid in orbe boni est.*

106. DE PAEDAGOGO QVO-  
dam Antiocheno, cui cùm Libanus So-  
phista illudens Christo, interrogaret tem-  
pore belli, quod Julianus gesit aduersus  
Christianos, quid agere tum putaret fabri  
filium (ita appellans filium Dei contume-  
liæ causa) respondet Juliani mortem præ-  
dicens: O Sophista, creator omniū, quem  
tu fabri filium nominasti, loculum Iu-  
liano concinnat. Et post paucos di-  
es imperfectus Julianus in locu-  
lo positus, Antiochiam ad-  
uectus est.

*Christicolas contra cùm gesit Apostata bellum,  
Edidit interitus hæc rata signa Deus:  
Libanus illudens pubis cùm forte magistro,  
Diceret hæc doctus verba Sophista, pio:  
Gnatus dic fabri celso quid Christus Olympo  
Nunc agit, hic vester, dic mihi quæso, Deus?  
Aedificat vestro loculum hic, at ille, Tyranno,  
Qui faber est summus cunctipotensq; Deus.*

Hab

Hæc pius admonitu Dominis sic verba magister  
Reddidit, euentu vera probata suo.

Nam loculo impositus paulò post ipse tyrannus  
Turpiter interto vulnera Iesus adest.

107. DE BLASPHEMA CONFES-  
sione Juliani in morte se victum esse à Chri-  
sto. Julianus iaculo in latus percussus,  
mox manum suam sanguine suo comple-  
uit, & in aërem proiecit dicens, νενίκη-  
κας γαλιλαῖς, hoc est, vicisti Galil-  
læ, & in eo ipso confessus est  
cum blasphemia victo-  
riam. Cap. 47.

In Parthos Cæsar cum saeuus Apostata bellum  
Funestum gereret, vulnera atroce cadit.  
Pugnanti sanctus miles transuerberat epar,  
Et cadit infesta bestia læsa manu.  
Sanguinis expirans calidam de vulnera massam  
Excipit, ac illam saeuus ad astra iacit.  
Et dum multa furens fremebundo pectore voluit,  
Exanimis tales fundit ab ore sonos:  
Vicisti Galilæ meos, Galilæ, furores,  
Tu meus æterno tempore victor eris.  
Vitaq[ue] cum gemitu fugit indignata sub umbras  
Illius infernas, & sine fine gemit.

108. EX LIBRO VII. IOVINIANUS Imperator pius & catholicus, ad Episcopos Macedonio s, offerentes ipsi literas contentionum plenas: Ego contentiones odi. Eos autem qui ad concordiam festinant, diligenter & honoro.

Cap. 4.

*Aematheis plenas ferrent cum lite tabellas,  
Præsulibus Cæsar sic Iouianus ait :  
Damniferas odi rixas litesq; feroce,  
Iurgia quod multis ansa fuere necis.  
Diligo sed facilis quibus est concordia cordi,  
Pacificos omni dignor honore viros.  
Viuite concordes, concordia qualibet auget,  
Dissipat ast discors optima quæq; status.*

109. DE MULIERE QVADAM  
Edessena, quæ cum filio ad Christianorum cœtus, in templum S. Thomæ properans, sponte ad martyrium cum filio se obtulit.

Capit. 32.

*Ad templum populus quondam confluxit Edessa,  
Disceret ut veri dogmata vera Dei.  
Diceret & laudes toto de pectore Christo,  
Diceret aeterno pro bonitate Deo.*

*Impius*

*Impius hos cœtus Cæsar prohibere sacratos  
 Audet, sæpe valens impietate, Valens.  
 Edictum, ne quis templo succederet, edit,  
 Nec timet edicto supposuisse minas.  
 Supposuisse minas pœnarum legibus audet,  
 Terreat ut sanctos hac ratione greges.  
 Edictum populus temnens properabat ad ædem,  
 Dicturus sanctas, sueuit ut antè, preces.  
 Ergo Valens subito mittit crudelis in urbem,  
 Quæ populum sacræ pellat ab æde, manum.  
 Hic tenerum ducens mater paupercula gnatum  
 Ad templum, currit non trepidante pede.  
 Hanc ubi præfectus properantem vidit ad ædem,  
 Dictis, ceu miserans, talibus alloquitur:*

## COLLOQVIVM PRAEFECTI & Mulieris.

### PRAEFECTVS.

*Infelix mulier, quæ te dementia cœpit,  
 Ad certam ut curras tam properata necem?*

### MVLIER.

*Cætera quò properat, curro, piaturba, precatum,  
 Hæc nobis vitæ, non via mortis erit.*

### PRAEFECTVS.

*Audistin' cunctos hac quòd præfectus in æde  
 Augusti occidet Cæsaris imperio?*

HISTORIAE  
MVLIER.

*Audiui, atq; ideo cursu festino citato,  
Vt sancto in cœtu sim moriarq; simul.*

PRAEFECTVS.

*Hunc mibit am tenera quò dic etate puellum,  
Quò mater gnatum dic trahis agratum?*

MVLIER.

*Hac etiam vt sacra nobiscum fiat in æde  
Sanctorum consors martyrii q; puer.*

*Hac est præfecti minitantis voce repressus  
Impetus, & cessit Cæsaris ira trucis.*

110. COLLOQVIVM PRAEFE-  
CTI IN VRBE CÆSAREA CAPPADOCIÆ, & S. BASI-  
LIJ, CUI PRÆFECTUS PERSUADERE CONATUR, VT IN  
GRATIAM VALENTIS FIDEM CHRISTIANAM  
& CATHOLICAM ABNEGET, PROMITTENS  
EI MAGNA MUNERA & AMICITIAM  
IMPERATORIS. CAP. 36.

*Cæsarea præses rabidi fuit vrbe Valentis,  
Cappadocum technis insidij q; potens.*

*Hic etiam sanctum tentat subducere technis  
Basilium à vera religione virum.*

PRAEFECTVS AD BA-  
SILIJ.

*Cæsar*

**C**æsar is ô præsul quod si mandata secutus,  
Doctrinam Christi deseris ipse tui:  
**C**æsar is offensi tibi nunc promitto fauorem,  
Cæsar is en nostri munera magna tibi.

## BASILIVS AD PRAEFECTVM.

**A**Dolescentibus hæc congruunt. Illi & illorum similes talia promissa respiciunt. Nam qui diuinis enutriti sunt eloquijs, corrupti de diuinis dogmatibus, ne vnam quidem syllabā patiuntur, sed pro his (si contingat) omnes mortis species amplectuntur. Amicitiam autem Imperatoris, magnam quidem pietate iudico, sine qua perniciem potius hanc appello.

Hæc pueros promissa mouent tenerasq; puellas  
Munera, qui spectant poma nucesq; leues.  
**A**st qui diuinis rectè est formatus & altus  
Eloquijs, firmum munera nulla mouent.  
Non apicem veri corrupti dogmatis ullum,  
Pro solida Christi cognitione sinit.  
Non etiam multas species si mortis acerbæ,  
Et videat vita mille pericla sua.  
**C**æsar is esse decus puto cum pietate fauorem,  
Hac sine pestis erit perniciesq; mihi.

## PRAEFECTVS.

Stultus

*Stultus es ô præful, tanti qui principis exul  
Cum donis tantis spernis amicitiam.*

## BASILIVS.

*Hanc mihi perpetuam cum sanctis expeto Christi  
Stultitiam, sapiens sis maneas q̄z tibi.*

## PRAE FECTVS.

*Egredere atq; mihi quid sis facturus in illo,  
Post hunc qui sequitur, dico certa die.*

## BASILIVS.

*Non ego mutabor quicquam, sed crastinus idem  
Hic adero, hæc constans mens mihi semper erit.  
Tu modò ne mentem commutes impius illam,  
Vtere crudelis supplicio, atq; minis.*

III. S. BASILIVS AD DEMO-  
Ithenem quendam ciborum Imperiali-  
um curatorem, literarum verò in-  
doctum, culpantem virum san-  
ctum & mundi doctorem.

Capit. eodem.

**T**um est de pulmentarijs cogitare, non  
dogmata diuina concoquere.

*Est curare tuum bene pulmentaria munus,  
Non coquere impurè dogmata pura Dei.*

*Disputet*

*Disputet indoctus non quisquam, aut iudicet illa,  
Quæ se non nouit cognita habere satis.*

II2. PAMBVS INTERROGATVS  
cur fleuerit aspiciens mulierem thea-  
tralem Alexandriæ, cùm esset apud  
Athanasium, inquit  
Cap.eodem,

**D**Væ me res mouerunt: vna, quæ est illi-  
us perditio. Altera verò, quod ego non  
tantum studeo placere Deo, quantum  
hæc, vt turpibus placere possit hominibus.

*Conficiens Pambus meretricem veste theatro  
Ornatam, tristis flet q̄ dolet q̄ diu.  
Quid solus lachrymet quæfitus, talia dixit:  
Sunt res cur lachrymem, cur doleam q̄, duæ.  
Illi interitum meretricis defleo primū,  
Quem sibi peccatis attrahit ipsa suis.  
Inde gemo, quod non studeam sic ipse placere  
Aeterno vera cum pietate Deo:  
Ut studet hac ornans multo molimine corpus,  
Turpibus, hæc meretrix, complacuisse viris.*

II3. S. ANTONIVS AD PHILO-  
sophum quendam, interrogatus, quo-  
modo se consolaretur, lectione  
codicum priuatus.

O,in-

**O**, Inquit, Philosophé, meus codex natura  
creaturarum est, & adest cùm vo-  
luero, verbaq; mihi relegit Dei, Ibidé.  
*Christicola quondam insanis cessere tyrannis,  
Syluarum occultos & petiere locos.  
Ut studijs tuti possent incumbere sacris,  
Fundere & ad Dominum nocte dieq; preces.  
Hos inter sanctus pietate Antonius omnes  
Præualuit vita conditione sue.  
Quo se soletur syluis, hic fortè rogatus,  
Cùm careat libris, talia dicta dedit:  
Est meus hæc ingens rerum natura libellus,  
Quo lego præsentis plurima signa Dei.  
Hoc lucet bonitas magno & sapientia libro,  
Summi qui seruat cuncta regit q; Dei.  
Hoc me consolor, liber hic mihi perlegit omni,  
Quò spectant oculi facta notanda, loco.  
,, Herbula vel quævis præsentem ostendit adesse,  
,, Qui fouet & seruat cuncta creata, Deum.*

## 114. EX LIBRO IX. HISTORIA

Regnare de imperfectis à Theodosio Imperatore  
cœpit 7000. ciuum Thessalonicensium, pro-  
Theodo-  
sius, An-  
sti circi-  
ter 383. pter motam seditionem, in qua Vdericus  
præfectus & multi alij nobiles viri inter-  
feci sunt: & oratio S. Ambrosij ad Theo-  
dosium, qua ipsum à templo repulit,  
donec de iniusta cæde ageret pu-  
blicè pœnitentiam. Ca. 30.

Thessa-

Thessalica Elæo fuit vrbs certamine clara,  
 Fortibus & doctis inclita facta viris.  
 Hac vbi Circenses ludi celebrantur in vrbe,  
 Plebs agitur dira seditione furens.  
 Præfectum occidit plebs quo furiosa tumultu,  
 Atq; alios claros stemmate & arte viros,  
 Cæde Theodosius tali commotus ad iram,  
 Non retinet mentis frena regenda suæ.  
 Sed mittit turmas flagranti percitus ira,  
 Quæ iugulant septem millia in vrbe virūm.  
 Hanc postquam stragem perceperat aure cruentā  
     Ambrosius, toto pectore condoluit.  
 Atq; Theodosium sacra depellit ab æde,  
     Quod fuerit tantæ cædis in vrbe reus.  
 Talibus affatur præsul pietate verendus  
     Cæsarem, vbi templi tecta sacrata petit:

### 115. ORATIO AMBROSII AD Theodosium,

**N**escis Imperator, perpetratae à te cædis  
 quanta sit magnitudo? neq; post pau-  
 sam tanti furoris, mens tua molem præ-  
 sumptionis agnoscit? sed fortè recognitio-  
 nem peccati prohibet potestas imperij. Decet  
 tamen, ut vincat ratio potestatem. Scienda  
 quippe natura est eiusq; mortalitas atq; reso-  
 lutio, & puluis progenitorum, ex quo facti, &  
 in quem redigendi sumus, & non flore pur-  
     pureo

pureo confidentem infirmitates operti corporis ignorare. Coæqualium hominum princeps es, ô Imperator, & conseruorum. Vnus enim est omnium dominus, rex omnium & creator Quibus igitur oculis aspicies cōmuniis Domini templum? quibus calcabis pēdibus sanctum illius paumentū? quomodo manus extedes, de quibus adhuc sanguis stillat iniustus? quomodo huiusmodi manibus suscipies sanctum Domini CORPVS? qua temeritate ore tuo poculum SANGVINIS preciosi percipies? quando furore verborum tuorum tantus iniustè est sanguis effusus. Recede igitur, recede, nec altero peccato priora crima augere contendas, suscipe vinculum, quo te omnium dominus nunc ligat, est enim medicina maximia sanitatis.

Siste gradum Cæsar, sancti ne limina templi  
 Ingreditor, cœdis conscius innocue.  
 Nescis patratæ grauitas quæ cœdis in vrbe,  
 Aeterni & moles quanta sit ira Dei? (gna,  
 Nondum etiam agnoscis, Cæsar, tua crima ma-  
 Quamq; tuus fuerit grandis, inique, furor.  
 Imperij forsan prohibet te magna potestas,  
 Ne tua cognoscas horrida facta sat is.  
 Sed tua vincatur, Cæsar, ratione potestas,  
 Ne tibi quæ libeat cuncta licere putas.  
 Pastores, ô populi, non sœua mente tyrannus,  
 Ergo tui quaras commoda sola gregis.

Atq;

Atq; hominum fragilis quam sit natura memento,  
Quodq; leuis cuncti puluis & umbra sumus.  
Massa sumus geniti patrum de puluere cuncti, ,  
Pulueris in massam mox soluenda putrem. ,  
Purpureo etatis ne fidas flore caducæ,  
Mortifera in nostro corpore multa latent.  
Etsi igitur Cæsar flores etate virenti,  
Quodq; facis sceleris, nemo vetare potest:  
Tutamen & certo morieris tempore Cæsar,  
Tardius aut citius mors truculenta venit.  
Est ratio in vita cuius quæ fecerit omni,  
Reddenda est iusto post sua fat a Deo.  
Ergo tibi cædis tantæ quoq; pœna luenda est,  
Cùm veniet index ad sua regna Deus.  
Conseruis tecum fortis dominaris in orbe  
Eiusdem fragilis morbiferæq; tuis.  
Cunctorum est unus Dominus, rex atq; creator,  
Cuius nos seruiturba misella sumus.  
Hæc quibus aspicies oculis sacra limina templi?  
Hic magni sedes est veneranda Dei.  
Aut quibus hæc pedibus templi pavimenta sacrati  
Calcabis? reprobum est hæc subiisse nefas.  
Ad Dominum poteris qua tollere fronte cruentas,  
In iusta stillant quæ tibi cæde manus?  
Quomodo tu sanctum sumes his corpus Iesu,  
Pocula quo Christi sanguinis ore bipes?  
Crudeli cuius mandato est fusus in vrbe  
Thessalica, & sanguis fluxit ab ense pius.

Cede procul, sancto, procul hinc à limine cede,  
Crimine ne cumules crima multa nouo.

Atq; ligat Dominus quo te modò, suscipe vinclum,  
Quod resipiscenti dulce leuamen erit.

Hac vbi dixisset magna grauitate verendus  
Ambrosius, cessit Cæsar ab æde volens.

Et dolet admisso de crimine mensibus octo,  
Conuersa mentis plurima signa gerens.

Pòst celebrat natum quo festo Ecclesia Christum,  
Templa suo mundus criminè Cæsar adit.

Fixit & hinc prudens legem, quæ iudicis iram  
Temperet, hunc causam noscere ritè monet.

Ne quis damnatus morte afficiatur acerba,  
Triginta elapsi sint nisi deinde dies.

Carcere sed vincos dum desinat ira teneri,  
Legibus ut fiat cognita causa iubet.

Consilio Ambrosij lex est iussu q; verendi,  
Imperijs his verbis sancta notata libris.

### VERBA LEGIS.

**S**i vindicari in aliquos seuerius contra nòstram consuetudinem pro causæ intuitu iusserimus, nolumus statim eos aut subire pœnam, aut excipere sententiam, sed per dies triginta, super statu eorum, sors & fortuna suspensa sit. Reos sanè accipiat vinciatq; custodia, & excubijs solertibus vigilanter obseruet.

116. DE

## 116. DE PLACILLA UXORE

Theodosij. Capit. 31.

Eiusdem coniunx celebrata Placilla per orbem,  
 Praesidium ægrotis pauperibus q̄ fuit.  
 Multa suis manibus præstabat commoda sanctis,  
 Seruilius subiens muneris omne genus.  
 Ipsa parat cœnas, lauat ollas, vascula ponit,  
 Pauperibus lectos sternit & ipsa p̄ijs.  
 Abluit & calices, affert coclearia, panes  
 Frangit, seruorum munia cuncta gerens.  
 Cūm reprensa fuit, munus quod tale subiret,  
 Talia non ficto pectore verba dedit:

**A**Vrum distribuere opus imperij est.  
 Ego autem pro ipso imperio, hoc o-  
 pus offero illi, qui bona mihi confert  
 omnia.

Est opus Imperij regale & principe dignum,  
 Aurum pauperibus distribuisse p̄ijs.  
 Hoc ego nunc illi pro regno opus offero, grata  
 Comoda, qui confert hæc mihi cuncta, Deo,

117. ORATIO MACEDONII ERIT  
 mitæ Antiocheni ad Allebechium magi-  
 strum militum, & Cæsareum magistrum  
 aulæ, quos Imperator Theodosius misit  
 Antiochiam, ut urbem hanc funditus de-  
 leret, & in formam vici redigerent, quod

I 2

æneam statuam Placillæ defunctæ vxoris  
Imperatoris per ciuitatem traxerant  
propter nouam exactiōem  
ciuitati edictam, mota  
seditione.

Cæsar vbi belli sumptus mandauit, vt vrbes  
Conserrent crebrò subsidium q̄z nouum:  
Antiochena nouis inhibans vrbs perfida relus,  
Detrectat magni Cæsaris imperium.  
At q̄z etiam summi contemptus signa sepulta  
Coniugis in manes seditiosa dedit.  
Nam medium raptant malesani signa per vrbem,  
Quæ statuit solido coniugis ære pia.  
Coniugis hæc mouit tum sic iniuria charæ  
Cæsaris ad bilem pectora prona citam,  
Vertere vt hanc totam decretit funditus vrbem,  
Et terræ pressis æquiparare locis.  
Legati ingressi trepidam sermonibus vrbem,  
Implebant bello Cæsaris atq; minis.  
Vrbe Macedonius vir sanctas vixit in illa,  
Moribus huic sanctis nemo secundus erat.  
Vestibus incultis vicinæ cultor eremi,  
Prodierat magna sed pietate senex.  
Hic media ingressi occurrens vrbe verendus,  
Pallia Legati mox vtriusq; tenet.  
Inquit: equis vestris descendite, Cæsaris ira  
Non erit effectum sic habitura suum.

Tu

Tu quid es, *buc hominis veniens, dic, ob sitre pannis*  
*Vilibus, immundis dic laceris g̃ senex?*  
 Hac hominem pellunt non digna voce verendum,  
 Ignari, quanta sit pietate senex.  
 Sæpe etiam pannis latuit sapientia tritis,  
 Sæpe holitor rebus commoda verba tulit.  
 Ergo vbi quæ pietas hominis sit, quanta j̃ virtus,  
 Norunt, dignantur debito honore senem.  
 Ipse Macedonius diuino numine plenus,  
 Effatur sanctus talia verba senex:  
 Hæc rogo clementi Domino vos dicite vestro,  
 Placantes, quæ nunc pectora biley tument.

**ORATIO MACEDONII AD IMPERATOREM THEODOSIUM**  
 coram legatis, qua iram ipsius placauit.

**N**on es Imperator solummodo, sed etiam homo. Noli itaq; respicere solum imperium, sed considera quoq; naturam. Nam cùm sis homo eiusdem naturæ, hominibus cognosceris imperare, & secundum imaginem diuinam atq; similitudinem hominum creata natura est. Noli igitur crudeliter atq; fœuissimè Dei imaginem occidere. Irritas enim creatorem, cùm illius punis imaginem. Illud quoq; considera, quòd tu ipse tantum propter æneam contristaris imaginem. Quantum verò differat inanimata res ab ani

mata viuenti, atque rationali, cunctis sensum  
habentibus est apertum. Insuper etiam illud  
consideres quidem, facile esse pro vna imagi-  
ne complures æneas reparare: at tibi omnino  
difficile, vel vnum capillum restituere.

*Inclite non solum Cæsar dominaris in vrbe,  
Ast etiam nostræ es conditionis homo.  
Non ergo imperij, quæ sit modò gloria, specta,  
Sed fragilis quam sis conditionis homo.  
Natura similis nobis dominaris in orbe,  
Mortalis Cæsar bulla cinius q̄ leuis.  
Est celebris nostri generis præstantia Cæsar,  
Est homo mortalis mentis imago Dei.  
Accendens Domini sauam in te vindicis iram,  
Abs te si fuerit perdita imago Dei.  
Et quam iusta tuum nunc indignatio pectus  
Iritet, sana singula mente vide.  
Coniugis est nuper statua ænea tracta per urbem,  
Cùm fureret motu plebs malefana nouo.  
Pro statua bruta, quam nos violauimus vnam,  
Túne hominum perdes millia multa ferus?  
Immensum vincit statuas homo, credito, multas,  
Ad radios mentis conditus ipse Dei.  
Pro statua hac charæ Cæsar nos coniugis vna,  
Possumus hic tales ponere mille tibi.  
Reddere pro nostris sed tu non mille peremptis,  
Hic poteris vnum ciuibus ipse pilum.*

Hæc

Hac est placatus sic Cæsar voce precantis,  
Pectore ut offenso cesserit ira grauis.  
Regibus est cunctis virtus clementia digna,  
Causa ne moueant bella cruenta leui.

118. DE HORMISDE VIRO NO-  
bili & diuite, qui expulsus à Gorora-  
ne rege Persarum, hoste Christiano-  
rum, oblatam potentiam & opes  
regis propter confessionem  
Christi contempnit. Ca-  
pite 31.

Gororanes regnans Parthorum sœuus in oris,  
Christicolas bello sæpe petebat atrox.  
Hiç etiam Hormisdi claro stemmate nato,  
Deneget aeternum mandat vt ipse Deum.  
Gororani sœuo Hormisdes sed verba tyranno  
Talia reddebat vir pietate grauis.

### RESPONSVM HORMISDIS ad Gororanem.

**N**ec iustum, nec vtile præcipis Impera-  
tor: Nam qui docetur, ut Deum omni-  
um facilè contemnat & neget, facilimè  
quotz spernit Imperatorem, cùm & ipse sit  
particeps naturæ mortalitatis. Et si summo  
supplicio dignus est, qui tua sceptræ contem-

pserit Imperator, multiplicib. tormentis subdendus est, qui cunctorum negauerit creatorum.

Impia quæ mandas mihi, rex crudelis & atrox,  
 Quàm sint hæc nulli commoda & æqua, vide.  
 Cunctorū Dominum, quicunq; docetur, & audet  
 Se herea summum spernere in arce Deum:  
 Hic etiam regem facilis contemnet in orbe  
 Naturæ fragilis mortiferæq; suum.  
 Si tua qui temnunt hominis, rex, sceptra caduca,  
 Sunt digni pœnis supplicioq; graui,  
 Qui negat æternum Dominū, qui cuncta creauit,  
 Quàm varijs pœnis is cruciandus erit?

II9. DE TYRANNIDE REGIS  
 in Hormisdem, & de constantia in confessione Christi Hormidis con-  
 temnentis præmia & opes  
 oblatas à rege.

Sic ait Hormisdes: nil flectitur ira tyranni,  
 Sed pœnas auget suppliciumq; magis.  
 Nam iubet ut nudus pecudes, hirtos q; camelos  
 Pascat, & in vastis erret agatq; locis.  
 Exactis rursus multis post fortè diebus,  
 Rex miserum in sylvis sole nigrumq; videt.  
 Hinc gentis patriæ memor & virtutis auitæ,  
 Aduocat, & clarum vestit alitq; virum.

Hæ

Hac sperans tanta motum bonitate suaq;<sub>z</sub>

Hac vita, verum posse negare Deum.

Ergo iubet posit at tandem nunc mente proterua,

Abneget ut gnatum, quem colit ipse, fabri.

Ast hæc Hormisdes constans zeloq;<sub>z</sub> repletus,

Diuino spreuit munera cuncta pius.

Vestem perrumpit, s<sup>æ</sup>ui ante pedesq;<sub>z</sub> tyranni

Proijcit, hæc fidei verba notanda loquens:

Munera si propter tua, Rex, vestesq;<sub>z</sub> nitentes

Cedere de vera me pietate putas?

Munera quæ spectas, & quæ miraris & optas,

Cùm solita teneas impietate tibi.

Gororanes nudum s<sup>æ</sup>uus post expulit aula

Hormisdem plenum reg<sub>z</sub> fideq;<sub>z</sub> virum.

120. DE RESPONSO BENNIA-  
mi Diaconi, cui captiuo rex Persarum Go-  
roranes liberationem, intercedente le-  
gato Romano, promisit, cum ea condi-  
tione, si nulli deinceps Magorum, qui  
erant sapientes & præfecti in Per-  
fide, doctrinam Christianam  
prædicaturus esset.

Capit. 33.

Beniamin tenuit captum Rex Persicus atrox,

Christum quod Dominum ritè professus erat.

Romanus petijt legatus s<sup>æ</sup>pe benignè,

Dimittat magnatam pietate virum.

I S

*Exorat sœui legatus numina regis,  
Hac tandem dura conditione viroz.  
Nil si de Christo tradat, pietate fideq;  
Perside qui clarent religione Magis.  
Benniamin sœui legem cūm regis iniquam  
Audiret, constans hæc pia dicta dedit:*

## BENNIAMIN AD REGEM.

**I**mpossibile est, non me participare alijs Iu-  
men, quod ipse percepi. Quanto enim sup-  
Matth., 25 plicio dignus fit, qui talentum absconde-  
rit, pagina sacra Euangeliorum testatur.

*Luceat vt multis, radios spargat q; necesse est  
Lumen, quod Dominus contulit ipse mihi.  
Quoq; sit ignauus, condit quicunq; talentum,  
Supplicio dignus, pagina sacra docet.  
His dictis pergit dimissus dogmata multis,  
Acrius æterni spargere vbiq; Dei.  
Ergo capi rursus sœus iubet ipse tyrannus,  
Et verum iussit linquere, vt antè, Deum.  
Benniamin captus coram sic rege tyranno  
Intrepida hæc quærerit mente fideq; grauis.*

## BENNIAMIN.

*Quonam rex censes merito sit dignus honore,  
Qui proprium linquens regna aliena petit?*

REX.

## R E X.

*Hunc equidem meritò crudeli morte necandum,  
Extremo dignum supplicio q̄ putem.*

## BENNIAMIN.

*Ergo homo qua dignus pœna est, qui deserit ipsum,  
Qui fouet & seruat cuncta regitq; Deum.  
Quiq; Deum ex seruo simili sibi fecerit vno,  
Atq; Deo soli debito honore colat.  
Hunc dirus tantum tormentis inde Tyrannus  
Occidit varijs excruciatq; modis.*

121. EX LIBRO XI. DICTVM A-  
catij Amidæ ciuitatis Episcopi, ad cleri-  
cos suos, cum audiret Romanorum mi-  
lites, multos captos Persarum Chri-  
stianos circiter 7000, fame ma-  
cerare. Cap. 16.

**V**iri fratres, Deus noster nec discis, nec  
calicibus opus habet. Nam neq; come-  
dit neq; bibit: & quia multa vasæ aurea  
& argentea Ecclesia nostra habet, conuenit ex  
his liberari exercitum captiuorum, & egen-  
tibus cibum offerri.

*Detinuit miles Romanus Perside septem  
Sanctorum saevis millia capta virūm.*

Hos

*Hos ubi funesta crudelis morte necaret,  
Acatius clero talia verba facit:  
Non opus, ô fratres, calices disciq; potenti  
Sunt Domino, quoniam nil edit atq; bibie.  
Aurea sunt nobis argentea pocula multa,  
Legitimus quorum est usus in æde Dei.  
Liberet his fratres captos Ecclesia nostra,  
Conuenit, & gratos offerat inde cibos.*

122. THEODOSIVS IMPERA-  
tor iunior interrogatus, quare nullum  
se lèdentium morti subijceret,  
respondit. Cap. 17.

**V**Tinam esset mihi possibile ad vitam e-  
tiam mortuos reuocare.

*Morte Theodosius cur non puniret acerba,  
Quæsus, qui se lædere sæpe solent.  
Non mihi mors cordi est, multos mihi morte perem  
O liceat vita restituisse sanos.* (ptos)

123. ATTICVS EPISCOPVS  
Constantinopolitanus trecentos so-  
lidos mittens Calliopio Pres-  
bytero Ecclesiæ Nicænæ,  
ita scripsit. Cap. 2.

**S**Vscipe hos trecentos solidos, & expende  
sillis, quos petere pudet, & non eis, qui pro  
pter

pter ventrem magis negotiantur ex illis.  
*Atticus excelsa Byzanti præsul in vrbe,*  
*Nicæno scripsit talia presbytero:*  
*Tercentos mittens nummos, quos donet egenis,*  
*Omni qui verè destituantur ope.*  
*Hos tibi quos mitto nummos, expendito tantum*  
*Pauperibus, nummos quos petijisse pudet.*  
*Non dato qui ventris mercando lucra sequuntur,*  
*Ocio & indulgent desidiaq; pigri.*

124. NESTORIVS EPISCOPVS  
*Constantinopolitanus ita dixit, in pri-*  
*ma sua contione ad Theodo-*  
*sium iuniorem. Cap. 3.*

**D**A mihi, ô Imperator, terram purgatā  
 hæreticis, & ego cœlum tribuam tibi.

*Nestorius Byzæ delectus Episcopus vrbis,*  
*Ista Theodosio verba notanda dedit:*  
*Hæreticis mundam mibi terram redditio Cæsar,*  
*Atq; tibi cœli regna beata dabo.*

125. DE DIONYSIA MATRONA  
 nobili, quam tortores regis denudatam  
 grauiter virgis cædebant, eiusq; ad torto-  
 res dictum, & ad filiolum, vt patien-  
 ter ferat torturas, & ad mortem  
 subeundam, exhortatio.

Stemmata

Stemmate de claro martyr Dionysia nuda

Pro Christi virginis nomine cæsa fuit.

Sanguinis è toto fluit ant vbi corpore guttæ,

Dicebat sœnis talia verba viris.

**M**inistri Diaboli, quod ad opprobrium  
meum facere putatis, ipsa est laus mea.

Dedecus ô serui Sathanæ mihi quæ esse putatis,  
Sunt Domino coram gloria magna mihi.

Tardius ad mortem gnatum cùm mater euntē,

Et trepidum pœnæ supplicij q̄\_z vider:

Talibus affatur, mentem firmat q̄\_z tenellam,

Matre sit ut factus fortior ipse sua.

Sis memor, ô fili, mersus quòd fonte sacrate

In veri es nomen notitiam q̄\_z Dei.

Ne trepidus vestem fili nunc ipse iugalem

Mundam commacules abiicias q̄\_z caue.

Ne Dominus nudum pedibus manibus q̄\_z reuinctus,

Trudat in infernos abiicias q̄\_z lacus.

Hanc metuas pœnam, nullo quæ fine leuatur,

Hanc pete, quæ semper vita beata manet.

126. THEOPHILVS EPISCO-  
pus Alexandrinus de scriptis Ori-  
genis. Euseb. lib. 10. Tripar-  
tit, historiæ. Capi-

te 14.

Origenis

**O**Rigenis libri similes sunt prato floribus vniuersis pleno. Quicquid ergo in eis bonum inuenero, hoc decerpo: Si verò quid mihi spinosum occurrerit, hoc quasi pungat omitto.

*Origenis libros similes ego iudico prato,  
Floribus omnigenis quod scatet atq; viret.  
Sedula apes veluti, bona si quæ inuenero in illis,  
Degustans flores carpo traho q; mihi.  
Ast mihi spinosum si quid, ceu pungat, omitto,  
Occurrit: semper sunt bona mixta malis.*

## DE SCRIPTIS ORIGENIS.

**O**Rigenes discipulus Clementis Alexan- drini, scripsit aliquot Chiliadas li- brorum, teste Suida, nec tamen in tan- ta mole commendationum explicat discri- men literæ & spiritus, legis & Euangeliū do-ctrinam de iustificatione, sed miscet suis scri- ptis falsas & absurdas sententias, quarum ali- quas etiam ipsius ætas improbauit.

## 127. CONSTANTINI DICTVM

ad Arium iurantem se rectè sentire.

Theodoreetus historiarum

Lib. 2.

**S**I vera est fides tua, probè iurasti: si nō est  
impia fides tua & iurasti, iudicium erit  
de te Dei de cœlo.

Cœpit  
imperare  
Constan-  
tinus An-  
no Chri-  
sti circi-  
ter 310.

*Arius*

Arius in Christum blasphemum dogma professus,  
 Expulsus sanctis cætibus exulerat.  
 Eusebij hic precibus tandem reuocatus in urbem  
 Constantinopolim, mœnia clara, reddit.  
 Hic ubi iuraret recte se credere, Cæsar  
 Constantinus ait talia verba pius:  
 Situa vera fides est Ari, veraq; iuras,  
 Testem ritè vocas ad tu a verba Deum.  
 At tua si non recta fides est, falsaq; iuras,  
 Iudicium Domini cœlitut ipse feres.

128. EIVSDEM DICTVM AD E-  
 piscopos in concilio Nicæno offerentes  
 ipsi literas & libellos, in quibus inuicem  
 irritantes accusabant se, quos libros  
 non lectos obsignatos suo an-  
 nulo in ignem proiecit,  
 inquiens:

**N**on sacerdotum exorbitationes vulgo  
 innotescere oportet, ne illis offensi ad  
 delinquendum reddantur audaciores:  
 atq; hæc locutus libellos obsignatos incendit.  
 Et hoc adiecit, se, si fortè oculis conspexisset  
 Episcopum alienum thorum labefactantem,  
 obiectum paludamento sceleratum faci-  
 nus, ne cui fortè cernentium illud visum no-  
 ceret.

Crimina Nicæni patres scripsere verendi,  
 Mutua se contra qui tenueré libros.

Hes

Hos pius oblatos Cæsar consignat, in vnum  
 Constringit sapiens fasciculumq; citò.  
 Pòst causis synodi confectis Induperator  
 Profert, quos patres antè dedere libros.  
 Non, ait, hos legi signatos ipse libellos,  
 Iuranti patres credite quæso mihi.  
 Namq; sacerdotum innotescere crimina vulgo  
 Non decet, exemplo quæ nocuisse solent.  
 Vulgus incers sequitur quæcunq; exempla docentū, , ,  
 Est vulgus præceps deteriora sequi. , ,  
 Hæc ubi dixisset, rapidos coniecit in ignes  
 Libros, hæc addens verba notanda pīs:  
 Fortè ego si videam solus quòd Episcopus ausit  
 Alterius mœchus commaculare thorum:  
 Hanc chlamydem obijcerem velamen turpibus au-  
 Cernentum cuiquam ne nocuisse queant. (sis,

129. VICTORINVS PROCONSVL  
 Carthaginensis diues & clarus, cùm ipsi  
 offerretur gratia regis, & ingentia do-  
 na, vt verum Deum abnegaret,  
 ita respondit:

**S**ecurus de Deo & Christo & Domino  
 meo, dico, quæ regi dicatis. Subijciat igni  
 bus, adigat bestijs, excruciet omni genere  
 tormentorum. Si consentio, frustra sum in Ec-  
 clesia catholica baptizatus. Nam si hæc præ-  
 sens sola vita fuisset, & aliam, quæ verè est,

K

non speraremus æternam, nec ita fecissem ad modicum, atq; temporaliter gloriarer, & ingratus existerem, qui fidem suam mihi contulit creditor.

*Victorinus erat clarus Carthaginis vrbis*

*Proconsul, harus vir pietate Deo.*

*Obtulit huic ingens donum regisq; fauorem*

*Præfectus, verum si neget ipse Deum.*

*Cui pius intrepidè respondit, talia restro*

*Regi de nostro nomine verba refer:*

*Ignibus exuret, Pardis obtrudat, & omnis*

*Me cruciet pœna supplicioq; licet:*

*Non tamen ipse nego, cuius sum nomine mersus*

*Fonte sacro, verum, sœue tyranne, Deum.*

*Hæc est vita mihi melior promissa perennis,*

*Hac viuam latus spe moriarq; Deo.*

130. DE VIRGINE QVADAM

Nicomediensi, quæ admirando & inau-

dito consilio & prudentia pudicitiam

suam contra hominem impuden-

tem, cui tradita fuit, seruauit,

vt recitat Nicephorus

Lib. 7. cap. 13.

*Christicolas sœui quondam sine fine tyranni*

*Gaudebant sœuis excruciare modis.*

*Hos gladijs feriunt, illos sub flumine mergunt,*

*Excoriant illos, hos laqueisq; necant.*

*Hos*

Hos predam Pardis, sauisq; leonibus illos  
 Projiciunt, saxis præcipitant q; cauis.  
 Ignibus exarunt, his duri brachia frangunt,  
 Distrahit his arbos membra reducta pijs.  
 Suffocat fumus quosdam, craticula torret,  
 His scapulis bullit pix q; oleum q; ferum.  
 Hi matres ducunt sanctas castas q; puellas  
 Per plateas nudas, prostituunt q; pias.  
 Has inter quedam tutata est virgo pudicum  
 Consilio hoc sapiens, virgineum q; decus.  
 Euphrasie nomen clarebat in vrbe pueræ,  
 Corporis & præstans forma decus q; fuit.  
 Hæc est, visa Deum venerari nomine Gnati,  
 Detestans Stygij numina vanaducis.  
 Ergo homini abreptam tradunt, qui ludat, & ipſi.  
 Virgineum violet contaminet q; decus.  
 Obuius huic venit, cum ducitur, Anthimus vrbis  
 Præsul, quem verbis talibus alloquitur:  
 Dic mibi quid faciā præsul, moriar ne reluctans,  
 An viuam, patiens turpia facta viri?  
 Inter ego mala duco duo minus esse ferendum,  
 Antistes dixit virgo pudica, tibi.  
 Sic Dominus iussit, tunicam si tollit iniquus,  
 Ut corpus redimas pallia mitte simul.  
 Sic vitam ut serues corpus permitte nephando,  
 Qui trahit inuitam turpia ad acta, viro.  
 Non maculas corpus, quæ non fers turpia sponte,  
 Cum casta in Domino mens q; fides q; manet.

Matth, §.

Consilio auditio partem fluctabat in omnem,

Quid faciat dubitans casta puella diu.

Pōst animo voluit saluum quo seruet vtrung,

Et mentem & corpus non violata Deo.

Conclavi iuuenis clausam cūm detinet, artis

Hæc magicæ fingit dogmata nota sibi.

Hanc artem tradam dixit, qualēdere possint

In bellis corpus spicula nulla tuum.

Si decus illæsum linquis mihi virginis, atq,

Dimitis patrios me remeare lares,

Arte noua captus iuuenis, sis optima dixit,

Hac voti campos conditione tui.

Artis, ait, iuuenis si vis facere ipse periculum,

Huius ego certæ iam documenta dabo.

Ille vbi se cupidum mirandæ diceret artis,

Hæc ludit techna præstigijq, nouis.

Nanq, oleo massam ceræ permiscet ad ignem,

Et manibus subigit, tractat agitq, leuem.

Illinit hæc collum sibi circum fragmina cera,

Ceu solet inflecti torquis adunca gulæ.

Viribus hinc iugulum sibi quantis possit, adacto

Coniectam cera verberet ense iubet.

Corpore sic artis quæ vis sit, quanta potestas

In nostro, disces experimenta tibi.

Fortiter hinc iuuenis palmis vtrisq, reductis,

Virgineum stricto præcidit ense caput.

Euphrasia intactum corpus mentemq, reseruans,

Sic petijt Christi cœlica regna sui.

Historia

131. HISTORIA DE ADOLE-  
scente, quem reuersus ex Pathmo Ioan-  
nes Euangelista à latrocinio reuocauit,  
quam Eusebius libr.3. hist. Ecclesiast. cap.  
23. recitat ex Clemente: qua exemplum  
proponitur Ecclesiæ & consolatio, Deum  
verè recipere in gratiam etiam enormi-  
ter lapsos, post acceptum baptismum,  
in peccata, contra Nouatum hæ-  
reticum & similes.

*Accipe quæ referunt Clementis scripta vetusti,  
Omnibus afflictis commemoranda pijs.  
Sanctus Ioannes Epheso quæ gesit in urbe,  
Cuifuit in Domini pectore grata quies.  
Ex Pathmo redijt tua post ubi fata tyranne,  
Qui sauum Domini nomen in orbe tenes.  
Cùm vigil Asiacis lustraret Episcopus oris  
Cætus, quos verbo legaret antè Dei.  
Illos accepto confirmet dogmate Christi,  
Instruat & cætus in pietate nouos.  
Conficit hic iuuenem præstanti corpore, & acri  
Ingenio, forma conspicuumq; bona.  
Cæribus bunc Christi iuuenē tot munera propter  
Laturum sperat commoda multa pijs.  
Ergo fuit nuper qui lectus Episcopus urbis,  
Hæc tradit iuuenem per pia dicta seni:*

Hunc tibi commendo, sit Christus testis vtrig<sub>z</sub>,  
 Ingenio iuuenem mente fide q<sub>z</sub> bonum.  
 Moribus erudias vt eum, studijs q<sub>z</sub> sacratis,  
 Et vera aeterni cognitione Dei.  
 Post Ephesum repetit diuinus Apostolus urbem,  
 Commendans iuuenem, sic, vt & antè, seni.  
 Presbyter hunc ergo proprias suscepit in aedes,  
 Et iuuenem magna sedulitate regit.  
 Sic habet vt gnatum, fouet & complectitur illum,  
 Intingit tandem flumine ritè sacro.  
 Ast nimium prima fidens probitate, benignè  
 Frena senex iuueni liberiora dedit.  
 Ille sibi laxans frenos iuuenilibus annis  
 Gaudet, & aequos iungit in vrbe sibi.  
 Luxus erat cordi quibus, atq<sub>z</sub> ignavia vite,  
 Pernicies iuuenum, pernicies q<sub>z</sub> virūm.  
 Horum coniuctu vitia addiscebat amare,  
 Atq<sub>z</sub> viam vitae cœpit inire male.  
 Vnà agitat primùm grato conuiua luxu,  
 Et Paphia carpit munera grata Deæ.  
 Hei mala quām multos iuunes cōsortia perdunt,  
 Sæpius atq<sub>z</sub> bonos in fera facta trahunt?  
 Nang<sub>z</sub> etiam furtis, faciunt quæ nocte silenti,  
 Adiungunt socium participem q<sub>z</sub> sibi.  
 His gradibus scelerum factis vita q<sub>z</sub> nephanda  
 Paulatim à paruis ad grauiora trahunt.  
 Coniuctu ad quævis sic crimina doctus in vrbe  
 Committit scelerum perditus omne genus.

Nam

Nam veluti in præceps abruptis fertur habéniſ  
Rectore ex iuſſo morsibus acer equus.

Sic rapitur quoduis designans crimen, & audens  
Hic iuuenis rapidus deteriora sequi.

Quin etiam æternæ ſpes ipſa negat a ſalutis,  
Flagitijs merſo tot vitijs q̄\_3 malis.

Crimina iam temnit parua admifſe, per urbem  
Crimina molitur peſima quæq; ferox

Nam ſe etiam ſeuis latronum cœtibus addit,  
Quos inter primum gaudet habere locum.

Quos hauit ſeuos latrones antè magistros,  
Discipulus ſuperat ſæuior ipſe latro.

Nanq; etiam turmam latronum colligit ipſe,  
Quorum crudelem ſe facit eſſe ducem,  
In ſyluam ducens hos ante impianior omnes  
Cœdibus in quois ſæuit iniquus agro.

Illiſ ob furias illa regione viator  
Non potuit certum carpere tutus iter.

Sustulit abſq; omni cunctos discriminē, eiq;\_3  
Apta latrocinijs dextra necijs fuit.

Hanc petit longo pōſt tempore Apostolus urbem,  
Ordinet ut quoddam relligionis opus.

Hoc opere effecto dixit conuersus ad ipsum,  
Cui iuuenis nuper tradita cura fuit:

Reddito depositum, dominus quod Christus & ipſe  
Curæ tradidimus nuper in urbe tuæ.

Tradidimus coram tibi quod teſtantibus illis  
Cœtibus, in Christo quos regis ipſe pios.

K \*

Presbyter attonitus quidnam sibi Apostolus oline  
 Tradiderit voluit mente agitatq; diu.  
 A se nang<sub>3</sub> putat repeti auri pondera fului,  
 Quæ sanctum nouit nulla dedisse virum.  
 Depositus vlliis non est sibi conscius et si,  
 Non tamen id credit quod petat esse nihil.  
 Hunc rogo quis fallat donatum numine Christi,  
 Aut credat sanctum falsa referre senem?  
 Haret vbi attonitus, non, inquit Apostolus, auri  
 Pondera ego repeto, quæ tibi nulla dedi.  
 Hunc repeto iuuenem atq; animam, quem iussimus  
 Imbueres veri cognitione Dei. (oline)  
 Tristior hic gemitus imo de pectore dicit,  
 Et lachrymans reddit talia verba senex:  
 Mortuus hei summo nobis pater ille dolore,  
 Et iuuenis pridem dispergitq; male.  
 Quo pergit morbo, cum querit apostolus, inquit,  
 Mortuus est Christo, dispergitq; Deo.  
 Pessimus euasit iuuenis, tandemq; latronum  
 Cætibus est iunctus saeuus in vrbe latro.  
 Quin etiam infestum montem dux obsidet ille,  
 Latronum ingenti concomitante manu.  
 Hæc vbi de iuene hoc veneradus apostolus audit,  
 Qua fuit indutus discidit inde togam.  
 Atq; gemens imo duxit suspiria corde,  
 Percutiensq; dedit talia dicta caput:  
 O preclare animæ custos, fratriq; magister,  
 Indole de cuius spes mihi magna fuit.

Sed

Sed mihi iam sternatur equus, comes atque fidelis  
Addatur, montis qui mihi monstrat iter.  
Continuò tendit cursu properare citato  
Ad montem latuit quo truculenta manus.  
Cùm venit huc, diri peragunt quo monte latrones  
Excubias, sanctum detinuere virum.  
Non horum manibus studet effugisse latronum,  
Hæc quibus intrepidus verba verenda refert:  
Non ego vos fugio predones perdita turba,  
Alloquar huc veni, quos videamque feros.  
Ergo mihi huc vestrum, qui tam crudelia saus  
In syluis audet, ducite, quæso, ducem.  
Dux venit armatus sanctumque agnoscit adesse,  
Quem iuuenis toties viderat ante, virum.  
Atque simul trepido fugit ans actusque pudore,  
In celerem sese coniicit inde fugam.  
Quadrupede admisso sequitur post sanctus Iesu  
Discipulus, senij non memor ipse sui.  
Euolat hinc rapidis fugientem passibus illum,  
Hac reuocat sanctus voce sonante senex:  
Quid fugis ô fili, patrem charissime inermem,  
Quid fugis ô iuuenis languida membra senis?  
Siste gradus celeres, trepidum depone timorem,  
Ne dubita, vita spes tibi certa manet.  
Totius est Christus pro mundi crimine passus,  
Tu quoque in hoc vitam, si resipiscis, habes.  
Pro te non dubitem rationem reddere Christo,  
Quin etiam mortem suppliciumque feram.

K 5

Sic iussit vitam pro fratre effundere Christus,  
 Vitam pro nobis ut dedit ipse suam.  
**S**iste pedem fili, tibi spem me ferre salutis  
 Huc misit Christus, spesq; salusq; pijs.  
**A**uribus hec hausit latro cum verba vocantia  
 Patria, quæ vitam verba tulere viro:  
**S**ubstitut & vultum terram defixit ad imam,  
 Projicit hinc trepidans arma cruenta manu.  
**P**rofundit lachrymis tristes gemitusq;, dolensq;  
 Sæpe senis supplex voluitur ante pedes.  
**Q**uas fundit labrymis sacro quasi fonte lauatur.  
 Assiduus deflens facta nefanda miser.  
**O**cculit ast solam dextram sub ueste cruentam,  
 Qua fecit cedes, vulnera saua, ferox.  
**H**ic veniam adiurans promittit Apostolus omnis  
 Delicti à Christo, non dubitante fide.  
**Q**uæq; magis torquet miserum, fert oscula dextra.  
 Dextræ quæ multæ conscientia cædis erat.  
**Q**uam veniam crebro iejunans orat uterq;  
 Ad dominum fundens pectore & ore preces.  
**E**t varijs mentem mulcebat Apostolus ægram,  
 Dictis ceu mæsto carmina leta canens.  
**T**radidit & veram iuueni, quam acceperat olim.  
 Notitiam Christi notitiamq; Dei.  
**S**igna ubi doctrinæ & pietatis certa ferebat,  
 Constatbatq; satis pœnituisse virum:  
**C**ætibus hinc sanctis præfecit Apostolus illum,  
 Quos rexit magna cum pietate diu,

Hoc

Hoc docet exemplum, teneris consortia prava  
 Mentibus incautis noxia quanta ferant.  
 Deinde, quod in Christo, quamuis sit criminis in-  
 Delictum, veniam, qui resipiscit, habet. (gens  
 Non dominus lapsis mortem, sed gaudia vitæ  
 Experit, erroris quos dolet esse reos.  
 I nunc, & veniam lapsis vitamq; negato,  
 Impie propugnans dogm i Nouate, tuum.

132. EVSEBIUS LIB. IX. TRIPAR  
 titæ historiæ, narraturus cædem iniustum  
 & crudelem factam iussu Imperato-  
 ris Theodosij Thessalonicæ.  
 Capit. 30. inquit:

**N**on est facile hominibus vniuersas vi-  
 tare hostis insidias. Nam vbi quispiam  
 libidinis effugerit passionem, incurrit  
 in auaritiam, qua declinata inuidiæ fouea pa-  
 ratur. Hanc si transcendat, vitium furoris in-  
 currit: Atq; alios plurimos ponit laqueos ini-  
 micus, quo capere possit incautos. Et corpo-  
 ris quidem passiones habet facilè ministran-  
 tes, vt animam possit occidere. Sola autem  
 mens eius, qui vigilarit, diuinis vacando, vi-  
 etoriam reportat, machinationum impetum  
 dissoluens.

Difficile est omnes Sathanæ vitare maligni  
 Insidias, multas quas struit ille pījs.

Si

*Si quis enim effugit pharetrati incendia amoris,  
Auri succedit non satiatus amor.  
Hanc si declines cupidus non eris acerui,  
Inuidia soditur liuida fossa tibi.  
Hanc ubi transferis cautus, te feruidus aufert  
Ardentem freno non remorante furor.  
Quiq; animā occidant faciles habet ille ministros.  
Corporis affectus ad mala cuncta leues.  
Hunc hostem vigilans vincet mens dedita sacrū,  
Præsentemq; vocans in sua vota Deum.  
Sic tendit nobis inimicus retia mille,  
Ut trahat in casses quos velit ipse suos.  
Hos tu Gnate Dei laqueos disrumpere precamur,  
Ne Sathanæ simus præda misella truci.  
Tu nisi nos serues stygiumq; represseris hostem,  
Non quisquam nostrūm victor abire potest.  
Sic Iudas perijt Scharioth suspensus ob aurum,  
Cæde furens perijt sic homicida Cain.  
Sic Sathanæ Petrus perijset sæpe cribratus,  
Te nisi seruatus Christe precante foret.  
Tu pater es noster clemens, seruator, & altor,  
Nos tua formantis languida massa sumus.  
Respice nos pater alme precor, nos dirige Christe,  
Quod facimus, laudi seruiat omne tua.*

*Finis historiarum Eusebii.*

**EPIGRAM-**